

JACOB BALDE

BATRACHOMYOMACHIA (2563 vers)

BATRACHOMYOMACHIA HOMERI TUBA ROMANA CANTATA...

CAUSA ET ORIGO BELLI.

B1 v.1 Invisas acies, Latioque ignota tot annis
 2 proelia Ranarum cum Muribus, asperaque arma
 3 hinc canere incipimus. Tantaene animalibus irae,
 4 o Superi, minimis ! Et stragem, et vulnera magna
 5 et scelus, et furias, et quid non denique campus
 6 sordidus a tabo, densisque instratus acervis
 7 portavit. Galeae undantes, calvaeque supinae
 8 supra unum jacuere globum. Tardata meatu
 9 flumina, et haerentes alibi torpore paludes,
 10 tunc magis adstrictae cumulata ob funera, segni
 11 dormivere situ. Tu, quem formosa revinctum
 12 caesaries, Grynee, decet ; quique improba flantem
 13 sibila fatali jaculo Pythona coruscas,
 14 Phoebe fave : prosit, tua me retulisse trophaea.
 15 Incurre hoc notum tibi pectus, et inde vultum
 16 fatidico pallore Dei. Tua si bona semper
 17 optavi : si vera cano majoraque bella,
 18 quam Thebanarum spectarunt agmina matrum,
 19 captaque prociduis senserunt Pergama muris.
 20 Principio tantae caussas et semina cladis
 21 Musa mihi memora, et fidibus praelude remissis.
 22 Forte Mycephalus fessus, sitiensque propinqui
 23 libabat latices stagni. Nat pendula barba ;
 24 os inspicatum micat, et se proluit unda.
 25 Haec tacite secum : nisi corpore lubricus essem,
 26 ingenioque sagax ; quam me prope felis adunco
 27 correptum pede, viventem misisset in Orcum.
 28 Hactenus evasi. Postica illudere sanna
 29 quid vetat, et longas aures ostendere victor
 30 atque ea volventi sese adspectabilis offert
 31 Limnocharis, talique strepens sermone lacessit.
 32 Fare age, quo tendis ? Cur nostra (abruptaque verba
 33 mersit aquis saliens, iterumque evolvit ab imo
 34 molle caput) cur nostra venis ad litora Maure ?
 35 Unde domo ? Qui te talem genuere parentes ?
 36 Ex quo fonte fluit generosi sanguinis humor ?
 37 An ceras etiam fumosa per atria monstras ?
 38 Quot statuae similes tibi stant in curribus altis,
 39 qui naso careant, quorum os venerabile fractum.
 40 Commemora, visum non aspernate sodalem.
 41 Talia Limnocharis : cum se Physignathus alga
 42 extulit. Obtutu defixus in hospitis atri.
 43 Et vero, niger est, hunc tu cave, percitus inquit,
 44 flava Soror. Suspecta novae commercia linguae.
 45 Illa levi saltu jungens se caerulea fratri,
 46 desine dulcis, ait, vani, cognate, pavoris.
 47 Quem metuis, si nos omen non fallit, amabis.

48 Namque sitim nostro dignatus ponere fonte,
 49 praetulit hunc fluvio summis e montibus orto.
 50 Atque utinam discat, quae regna colamus et oras ;
 51 fors nostras laudabit opes. Ego lapsa sub undas
 52 sternam molle vadum, vitreumque ornabo cubile.
 53 Dixit, et ad socias gavisa palude revisit.
 54 Assensit Glaucus dictis, ac corpore moto
 55 percussas sulcavit aquas, propioraque carpens
 56 littoris, inflatas laudes spumosius efflat.
 57 Ille ego magnanimus putrium regnator aquarum.
 58 Hydromedusa parens pelago, Pater imperat astris.
 59 Altum a Sole genus, per tot fastigia nati
 60 ducimus, et paribus lustrantur sidera cunis.
 61 Vitales bibimus radios, cum Cynthia plenis
 62 vultibus effulget, noctemque ulciscitur atram ;
 63 excipimus jubar, et claris advolvimur astris.
 64 Nostra coronatae sunt pulvinaria ripae.
 65 Semideos, Phoeboque satos Hyperione multa
 66 commendant : placidi mores, concordia virtus
 67 et quae Romanae volucris facundia vincit
 68 rostra, nec aspectum metuit stupefacta luporum.
 69 Noctes atque dies, jussi injussique forenses
 70 clamore extrahimus lites : vix clauditur ullo
 71 Curia justitio. Nos nos, mihi crede, natamus !
 72 Totque lacus regimus, quot maxima flumina Nereus
 73 quid praeter Jovis Oceanum, magnique Tridentis
 74 jura deest ? Sed et hunc sceptrum non vilius aequat.
 75 At tu quisquis ades, qui fuscae licia barbae
 76 ungue manu mulces, et praetentata flagellas ;
 77 quamquam etiam pellum video, truculentaque signa
 78 militis, ausuri justo concurrere Marte :
 79 da generis seriem stirpemque, et nomen avitum.
 80 Quas sentis stellas, quali carbone notaris ?
 81 Aemulus haec contra (vocemque argutat, et urit
 82 mille dolis) an adhuc nomen tu quaerere nostrum !
 83 Quod licet occultum specubus vallemus et antris ;
 84 protrahit in lucem tamen illud acuta cati vis ;
 85 venantis pedibus manibusque, et in aera jactat.
 86 Quod caput est ; certant homines quoque tale mereri :
 87 et capiunt, quando facinus sunt grandius ausi.
 88 Inter aves, interque Deos, Satyrosque vagamur
 89 convivas ; madidoque datur procumbere disco.
 90 Ille ego Psicharpax Troxartae filius ingens.
 91 (Erexitque caput moto versabile collo,
 92 quantum non valeat serpens diductus in auras ;
 93 cum reparat vires, virusque assibilat astris.)
 94 Mater Lichomyle suavissima, Pternotroctae
 95 progenies tu magna crepas primordia gentis ;
 96 aequoreos proceres, et junctam sanguine Tethyn ;
 97 Nympharumque toros, et structa palatia musco.
 98 Ostrorum sanies, electrum, et coccus et aurum
 99 quid faciunt ventri ? Natum me paupere tecto
 100 non pudet, et tutam dat quivis angulus arcem.
 101 Incolat exosus Superis, vel proditor aulas
 102 marmore subnixas Pario, mihi cespite parvo
 103 haerentes Fortuna casas sine crimine servet,
 104 frugalemque penum. Malo non magna timere
 105 atria, et incolmis parva considere mensa :

106 quae pedibus male fulta tribus, baccasque, favumque
 107 offerat innocuum : quam cum formidine leti
 108 suspectas epulas e vestro tollere ponto,
 109 contentus dictione mea, nec fata Jovemque
 110 accuso, terra speluncisque abditus atris.
 111 Secum habitat felix. Hic totum possidet Orbem,
 112 cui natura, satis. Nullum tam nobile regnum,
 113 non est imperium majus, quam nulla cupido.
 114 Titanem jactas Phaetontis origine clarus.
 115 Et nos astra fovent : et nos Clymenaea vocamur
 116 pignora : sidereos et nos adscripsit in ortus
 117 signifer. Haurimus communia semina caelo.
 118 Nec jactare lubet. Potius virtute paterna,
 119 quam Patre nitendum, et priscae rubigine matris.
 120 Qui bonus est, bene natus hic est. Contemnere viles
 121 exuvias juvat, et nomen sibi quemque parare.
 122 Praeterea turges, ambisque orator haberi
 123 garrulus. Hoc caelum terraeque ac ipsa queruntur
 124 Tartara. Cum parvo tua vox sit corpore major,
 125 oraque distendas : cave, ne rumpare lagena
 126 fictilis, eque luto tantum compacta palustri.
 127 Quid mihi cum cantu, labrisque sonantibus odas ?
 128 Sperno Pegasides. Viridem thymbramque, hederasque,
 129 set celebres curas, afflataque carmina rodo.
 130 Qui vates durare cupit ; mihi supplicet, unctas
 131 detque manus : alias frustra speraverit aevum.
 132 Quam vis ipse foret Geticis e rupibus Orpheus :
 133 cui migrant silvae, cui vallem deserat Oeta,
 134 Ossaque cum profugo properent ad barbita Pindo.
 135 Sum sophus : haud quales nutritivit porticus olim,
 136 exesos scabro vultu, macieque timenda.
 137 Odi Socraticos pluteos, vacuumque catinum
 138 Pythagorae ; Cynici detestor dolia trunci.
 139 Nos Epicurei, saturamur perna Epicuri.
 140 Stoicus inclamat : Sapiens inquirat honestum.
 141 Ast ego piae reliquis, quid dulce, quid utile, novi.
 142 Quae bona sint, quae mala : probi quae stilla palati
 143 oblectet genium : quo Chia vel Itala ficus
 144 invenienda cado : qua massicus humor in urna.
 145 Cursores Apium laedat : lactuca colonos
 146 a stiva reduces ; noceat messoribus hydrops.
 147 Quo strumosa tumet crescente cucurbita morbo,
 148 sanus ego largo proventu sesama posco ;
 149 melle laboratam Cererem, tremulasque placentas.
 150 Parva loquor : Libycum juvat ire per altile, captas
 151 perdices ; caesis dentes infigere damis.
 152 Quot Junonis aves, Jove conivente, profundus
 153 consumpsi ridente gula. Mihi caeditur agnus,
 154 Maenalius mihi spumat aper ; Dryadumque fugaces
 155 deliciae cedunt, et tela sequentia cervum.
 156 Lactis flore fruor : niveis mihi funditur imber
 157 candidus uberibus caprae. Jam parturit Hybla,
 158 collectumque thymum mittit : jam Liber in uva
 159 servit, et autumni pubescens sanguine palmes.
 160 Quid referam vires, insculptaque proelia saxis :
 161 bellatore Deo plerique ardemos, ut Aetna
 162 Vulcano. Natura ferox et dura domari,
 163 ingentes iras parvos stipavit in artus.

164 Aspice, qualis ego : (mirusque apparuit ore
 165 ardelio) quam sim pernix (saltavit) et acer :
 166 (conflictus lusit simulacra) et mobilis : (antrum
 167 ocius intravit, subitoque emersit ab antro
 168 eminus obverso : nihil ocius aspice, quantus
 169 assurgam : (tumuitque ingens luctator in auras,
 170 tamquam Bistonia se metiretur in hasta.)
 171 Quid refert ? Dolus an virtus : pugnamus aperto
 172 Marte quidem ; caeco tamen expugnamus, et omnes
 173 hausimus insidias magna est fiducia noctis.
 174 Cum sopor invasit stertentem frigidus hostem :
 175 extrellum taciti proflantis sonnia calcem
 176 mordemus. Dolet ille, et nostro saevit in astu.
 177 Adde : quod ad lectum suspensa papavera tigno,
 178 caulibus avulsis, felix audacia carpat.
 179 Sub putrem penetramus humum, fossisque cavernis,
 180 Si cives alimenta negent, subvertimus urbes.
 181 Finierat. Tunc sic breviter Physignathus orsus.
 182 "Muscuile, quis tantos animos tibi suggerit ardor ?
 183 Ogygiis ut te talem Iliacisque fatiges
 184 laudibus, et plenis jactes praeconia plaustris.
 185 Credideram solum Ranas audire loquaces :
 186 largior eloquii vani tua pulmo per ora
 187 palpitat inflanti gentilis carbasa famae
 188 Aeolus aspirat, ventosque immittit habenis.
 189 (Musculus adstabat surrecto pectore visus
 190 plaudere) cur retices pejoris fata metalli
 191 aspera ? Lugendos non uno funere menses ?
 192 Audio vos subigi pedicis, brevibusque latere
 193 muscipulae clausos Gyaris, parvaque Seriphos.
 194 Esse aliud quiddam, quod formidabile vivit ;
 195 vivit, et immani pantherae concolor, instar
 196 Tisiphones agitat Mures, et sanguine vestro
 197 luxuriat ; vobisque pilis, dum ludit in orbem,
 198 utitur, et saevo variat spectacula luxu.
 199 Alter ad haec : simplex ! Quid ab omni parte beatum ?
 200 Non ideo miseri, quia nos discrimen et horror
 201 circumeant, pestisque nocens, strix improba noctis.
 202 Ille miser, cui nemo furit, nemo invidet : omnes
 203 illacrimant, minuuntque metus, fugiuntque cupressum
 204 Cum gemitu, timeam ; dum me regnare timentem
 205 aspicias. Tantum summi formidine nutant,
 206 si nescis : magnos etiam vox una leones
 207 terret, et attonitos medio certamine sistit.
 208 Tunc rubras agitat cristas, passusque sonoros
 209 laudat, et agnoscit vires gallina mariti.
 210 Ut taceam : quod vos puerilis natio diris
 211 exagitet ; meritaque trabi pendere ligatos
 212 cogat et effodiat trepidantia viscera ferro.
 213 Denique ego felem fugio (Deus augeat alas)
 214 inque vicem mea tela fugit Numidarum elephantus.
 215 Sic ait, et talitrum colliso everberat ungui,
 216 demittitque pedes. Abiturum batrachus alto
 217 insequitur fremitu. Siste o fortissime, pressum
 218 siste gradum. Dignus, quem nostram ducat in aulam
 219 Limnocharis. Quae non, o quae formosa videbis !
 220 Qualia dona feres ! Neptuni gaudia vivo
 221 fonte bibes, quo se malit Galatea lavare.

222 Affluis uvarum gemmis et ficibus : esto.
 223 Scire decet, quod nec mea sit de plebe ferina.
 224 Illa duplex. Gemini census fecunda ministrat
 225 hinc tellus, hinc unda dapes, utrinque beato.
 226 Finio. Rumpe moras ; dabiturque hac sorte potiri.
 227 Nare nequis. Erimus navis. Portabere dorso :
 228 tam bona nec Typhin, nec Jasona vixerit Argo."
 229 Dixit, et explicuit substratum in litore tergum,
 230 sessoremque vocat. Quid agat parasitus avarae
 231 vesanaeque gulae ? Navim concendat ? Et istam !
 232 Et vivam ! Et fragilem ! Et nullo moderamine notam :
 233 ferreus ille fuit, quisquis rerum ordine rupto
 234 Argolicam primus taedam dejecit in aequor.
 235 Atqui etiam mergi fratres e carcere jactos
 236 saepius accepit. Quid si Fortuna severo
 237 insuper usa joco, solitis hoc fraudibus addat :
 238 ut sine lege reum damnatum et culeus artet.
 239 Juncta que mordenti serpens et simia gallo ;
 240 aut animal, quod nocte videt, Styx edidit atra.
 241 Namque dari Feles, non vana est fama, marinas.
 242 Ire neget ? Pudor est, non esse in fata ferocem.
 243 Ingenii quoque cura vagi (mutabile semper
 244 musculus) et paelex novitatis plena voluptas
 245 irritat. Cuperet lustrare tapetia, cultis
 246 Nereidum thalamis, mirae pendentia telae.
 247 Auditi haec vitreo doctam sub gurgite Tethyn
 248 Felici duxisse manu, crystallina visu.
 249 Unde instar speculi, multo quod fulgure pascens,
 250 in medium late radiis coeuntibus orbis
 251 omnia multiplicet : visusque racemus in uno
 252 crescat, et ex primo geminetur imago secundi,
 253 visa Ceres pariter reddat cum foenore fruges.
 254 Annuit, exoptatque vehi. Tamen ante carinam
 255 dispicit : an rimas agat, an vitiosa fatiscat ;
 256 nullane fraus lateat caecam molita charybdin.
 257 Ter jam scandentem nativa puppe levabat
 258 batrachus. Extimuit totiens, renuitque levari,
 259 defluxitque loco. Rediit ter dira cupido.
 260 Nimirum cum dicta dies, praefixaque mortis
 261 tempora venerunt, tandem parere necesse est.
 262 Luctari fortasse potes, potes edere questus,
 263 et timidam tardare moram : tamen ibis, et ibis
 264 serius aut citius, miseris tamen ibis ad umbras.
 265 Nec lacrimis mutare licet funesta, nec arte
 266 imperia haec urgent. Haec te tam multa caventem
 267 Psicharpax mandata trahunt. Circumspice terram :
 268 quidquid agas, mergere tamen. Ludibria debes
 269 Parcis. I, morere, et Parcis ludibria solve.
 270 Jam jam sublatus, Fatis urgentibus, alto
 271 mandatur propere scissi pede remige fluctus
 272 Aethiopem portant. Natat uncta liburnica limo.
 273 Sarcina Psicharpax transtrum complexus inhaeret :
 274 ne semel excussus, praeceps labatur, ut Helle,
 275 et sibi fatali det nomen lugubre ponto.
 276 Sic hiemem extremam tentat, nullisque movetur
 277 ventorum Pelagique minis mercator, et undis
 278 (suadet enim vesana fames, aurique cupidus)
 279 exigua fretus credit trabe corpus. Euntem

280 litore deplorans miseratur et adgemit uxor,
 281 et nati tremulis contingunt carbasa palmis.
 282 Miranturque sonos remorum. Et brachia tendunt.
 283 Provehitur Maurus. Quandoque aspergine cauda
 284 diluitur : mollisque pili fuligine tincta
 285 infremuit ; velut Ioniis si fluctibus haustus
 286 speraret totam balaenae in fornice mortem.
 287 Forte inopina caput tetigit strictura procellae,
 288 dulce lepor tantum, tremulus cincinnus aquarum :
 289 di maris et terrae ! Queis non barritibus ille
 290 avia complevit late loca. Suppara verti
 291 Aegaeo damnata freto, desidere silvas
 292 Xerxis, et antennas mersa cum classe putares.
 293 Sidera vestra fides. Riserunt nautica clarum
 294 sidera, cum magno geminatus Orione Castor :
 295 turbaque Pleiadum lacrimosis humida nimbis,
 296 tunc primum madidos detersit pollice vultus.
 297 At non sic humeris Europam, naufragus inquit,
 298 divinus tulit ille suam trans aequora Taurus,
 299 ante, rosas sparsere Deae : post, lilia, caltham.
 300 Verbenas, cyanen. Tritones inter amicos
 301 frenatumque Proci violis Delphina meavit.
 302 Totus in hoc lusu gaudens insaniit aether.
 303 Nulla mihi casum restant inhibere volenti
 304 cornua : nec parvam fas est sperare phaselum.
 305 Haec ululans (vocemque timor mutavit et horror)
 306 assultum sorbebat aquae. Pars optima vitae
 307 mersa tremit pedibus, medioque in pectore mors est.
 308 Ecce aliud ! Sunt et lacubus sua grandia Cete.
 309 Eluctatus enim subito comparuit ingens
 310 Hydrus, et erexit vastum se vortice ab imo
 311 sublimis, multumque suus : velut arbor in amne.
 312 Qualis in Archemorum cecidit male lividus anguis,
 313 dum procul Hypsipyle : tractu post terga soluto
 314 immanis cerni, membrorumque agmine tanto,
 315 quanto qui gelidam spiris complectitur Arcton.
 316 Territus aspectu torvo Physignathus undas
 317 percutit, et visa rapide declinat ab Orca,
 318 subducitque ratem. Labat, heu, labat inclytus olim
 319 musculus, et fluctu moriens versatur ab omni :
 320 Susque modo, modo deque ; supraque infraque volutus
 321 gyratur, sentitque admota forfice Parcas ;
 322 jamque aliquod filum circa praecordia ruptum.
 323 Quis juvet ? Absentes alii. Stetit unicus unus
 324 Lichopinax in colle procul, notissimus Afer,
 325 conscientia nequicquam pereuntis in aequore fratribus
 326 Fata repulsurus. Quis enim mutaverit umquam
 327 ambages aevi, deductaque pensa Sororum,
 328 et Jovis in solido leges adamante notatas ?
 329 Semineces oculos ubi sustulit alter ab alto ;
 330 ingeminat, (suucerre ?) tuo : nec plura precari
 331 lympha allapsa sinit, totumque ingurgitat inguen.
 332 Dulcis amor vitae rursus tentare coegit :
 333 "Lichopinax, clama terras, mare, nubila, silvas ".
 334 Lichopinax clamat terras, mare, nubila, silvas :
 335 in vanum. Rapiunt surdi suspiria venti.
 336 Quod superest, mollem tumulum placidumque Charontem
 337 (unde etenim naulum daret ?) et mitem Aeacum optat

338 eminus, et stridet carmen miserabile lessi.
 339 Quale parens gemit Alcyone, cum pendula ramis
 340 pignora decussit Boreas, nidosque loquaces
 341 mersit aquis. Toto responsant litore questus.
 342 Aut quali Heliades super Eridanum fumantem
 343 fraternalm flevere necem : pulchrae ante puellae,
 344 nunc deploratae tam longo tempore silvae.
 345 Jamque supinatus (nam totum Scylla procellis
 346 verberat impactum) converso ad sidera rostro
 347 Psicharpax. Animamque trahit, dentesque supremo
 348 frigore collisos, in talia murmura pulsat.
 349 Si qua Deos tangit pietas, Astraeaque vivit,
 350 castigatque reum torto Rhamnusia plumbo :
 351 et te poena manet Physignathe, nec Rhadamanthi
 352 effugies uncum. Sunt et sua Taenara Ranis,
 353 Neptunusque alias Stygio terrore verendus :
 354 ad quem nunc proprio, et deceptos affero Manes.
 355 Te Rota, te Vultur, refugo te Tantalus horto
 356 exspectat : saxumque tua cervice recumbet
 357 Sisyphium, et quidquid Furiae coxere nefandum.
 358 Haud equidem fortis. Si Martem in pectore gestas,
 359 et caedes, et pugna placet ; gladiator arenam
 360 stravisses, nostri vires sensure lacerti.
 361 Proditor es. Justo fuerant stringenda duello
 362 cominus arma tibi, multoque exercita palo :
 363 spectasses in Mure marem. Tamen ulti ab astris
 364 imminet, et nostram placabit Juppiter umbram.
 365 Ultima vox. Animam dein singultavit in undas
 366 flaccidus : obrigitque gelu deforme cadaver ;
 367 ingressamque oculos velavit palpebra noctem ;
 368 tempore quo, prima caligine subditus Orbis
 369 induitur, fessumque dolet discedere solem.

PANOPLIA UTRIUSQUE EXERCITUS.

B2 v.1 Interea certam tristi de funere famam
 2 Lichopinax affert, et amaro murmure proflat
 3 quod loquitur, furor est : omnes sunt classica voces.
 4 Extemplo concussi animi : spirantque calores
 5 vindictae, natoque pater praeludit inulto.
 6 Troxartes fuit. Hic Genitor Psicharpagos ardens
 7 intumuit tragica plus quam regaliter ira.
 8 Non secus ac Tigris surreptis fetibus orba
 9 accubat ingenti saxo, furiosaque luctu,
 10 ac sparsa in virides maculas ruere ardet, et amens
 11 nescit, cui ruat ; aut qua se vertigine Parthus
 12 abstulerit praedator eques : jamque arvara pinæ
 13 incusat cursu et silvas ; frustraque repletis
 14 uberibus pulsat. Tremit omni valle Niphates.
 15 Tantus paene dolor Mauri patris. Ille tremendus.
 16 Dum noctem excubiis trahit infestisque querelis ;
 17 insomnis geminas, quas Mures credidit, Ursas
 18 tardius Arcturi solito sua plaustra moventis,
 19 auxiliumque, et opes, et robur, et arma rogavit.
 20 "Vos nostra de gente sati : quibus inter amoena

21 sidera concessum est Fratrum spectare labores
 22 absque metu. Neque enim summos irrumpet in axes,
 23 vestraque vastabit quadrupes carecta panurgus.
 24 At nos nunc alios manes sentimus et hostes.
 25 O ! date calcandas pedibus, date sternere Ranas."
 26 Postera lux nebulas nondum dimoverat atras.
 27 Et jam turba coit. Veniunt uno agmine cives :
 28 et circumscripti, Lichenore consule, Patres
 29 Musulmannigenae ? Barba venerabilis aetas.
 30 Longa senatorum series. Subsellia consul
 31 occupat, in gradibus numerus servatur et ordo.
 32 Troxarten, qui rarus honor, fert urna curulis ;
 33 urna vetus, redolens vinum, vappamque sequacem.
 34 Prae foribus lictor pronus ; cui parva securis,
 35 arrosi fasces : periit. Qui roserat, ense,
 36 Artophagi frater. Correxit gratia poenam :
 37 nam vivus tumulandus erat : potuitque mereri
 38 supplicium majus, quam praedo cannabe dignus.
 39 Namque olim fuerat furca laqueisque trahendus :
 40 rustica quod Baucis testatur, et ipse Philemon,
 41 noti Dis homines. In quorum paupere censu
 42 saepe est grassatus, baccasque atque intiba solus
 43 abstulit, et dulci lactis se proliuit haustu.
 44 Atratus genitor princeps sic inchoat ore :
 45 "Quod, socii, Fatum, vel Erinnys ventilat angues ?
 46 Quis movet Aelurus succensam sulphure caudam ?
 47 Omnibus opprobriis petimur. Conspirat inquis
 48 et fruitur Fortuna dolis, petulansque furorem
 49 exercet, totumque parat subvertere regnum.
 50 Quid non saevitiae reperit mortisque libido
 51 In nostrum truculenta caput ! Qua Daedalus arte
 52 (ingenium crudele !) ovus fabricaverit arcum
 53 sarcophago similem, scitis ; congestaque crebro
 54 funera testantur. Labyrintho pejor et omni
 55 carcere ; quos semel inclusit, dimittere nescit.
 56 Persephones specus est. Non illa Theseus ullus,
 57 non Ariadna suum valet extricare maritum.
 58 Tanta mali rabies. Phalarim mallemus et ignem,
 59 aeraque dira pati, totoque ardere juvenco,
 60 justa queror. Cum me triplici Lucina parentem
 61 fecisset sobole, spe tanti nominis una :
 62 orbavit penitus sterilem Libitina senectam.
 63 Infregit primi jugulum turpissima nati
 64 Alecto : cujus tenuem vel nominis umbram
 65 est nobis memorare nefas, et prisca parentum
 66 religio prohibet. Nimium feralis hyaena :
 67 saevior hiberno Borea, velocior Euro,
 68 asperior salebris, astutior aucupe tecto,
 69 Tigride mobilior, torrente rapacior Hebro,
 70 durior et scopolis, et feta immanior ursa :
 71 (intremuere omnes) Catus est (iterum intremuere)
 72 alter dum capreas pendentes figere quaerit,
 73 incidit in foveam ; quam quisquis struxerit, opto :
 74 ut tellus illi pedibus super ima dehiscat.
 75 Ultimus occubuit mediis, (ah ! ultimus) undis.
 76 Undis : cui sicciam debebant numina mortem.
 77 Mortem : cui longam spondebant stamina vitam,
 78 obruor inferiis. Luctus exquirite causas ;

79 Si forsan Graio felis sermone locuta :
 80 si pluit aut caepis, aut, quod pudet edere, Ranis.
 81 An caelum barbaque minax pallente Cometes
 82 dirum portendit nobis quoque Muribus omen ?
 83 Quidquid id est, sentimus onus ; stellamque nocentem
 84 Saturni, Martisque rubram, metuenda dynastis
 85 sidera. Psicharpax indigna fraude subactus
 86 oppetit. Quis jam micas furabitur alter ?
 87 Ille meam ac vestram poterat nutrire sagina
 88 canitiem, parvoque annonam ducere sumptu.
 89 Nunc et sacra fames squalentibus imminet antris,
 90 et macies primos occidet torrida Mures.
 91 Scilicet has clades semper patiemur inulti ?
 92 Arma, quid ambigimus ? Conjunctis viribus arma,
 93 arma decet tandem justo paeferre dolori ;
 94 juraque Naturae ferro convulsa tueri."
 95 Dixit, et ingenti persuasit proelia saltu.
 96 Sic cernes torvas etiam ad certamina matres,
 97 a bove, quae timidae steterant, majore moveri.
 98 Haerebant fixis pedibus prius arma minari
 99 non ausae : neque enim firmarunt cornua densis
 100 stragibus et truncis, aut protrivere tot hostes,
 101 quot senior. Qui si notis depulsus ab arvis
 102 erepto vitulo, secum sua bella peracta
 103 ruminet, et totiens rivalis vulnera caesi :
 104 tunc quoque se taurum meminit. Ferus ergo cruentum
 105 mugit, et excitum praecurrit et instruit agmen.
 106 Pascua tota sonant, et tota armenta sequuntur.
 107 Exin quisque domum. Leges : ut signa parati
 108 exspectent, ubi se bis laverit aequore Phoebus.
 109 Ut sica potius, qui mos sollemnis Iberae
 110 militiae, telisque latus brevioribus arment ;
 111 quam longo mucrone, vel aerisona rhomphaea :
 112 ut juncti pugnant, ut tessera certa petatur :
 113 cautibus ut gladios acuant, ut corpora current.
 114 Promiserunt animos, fremitumque reciprocata Echo
 115 camporum, et totae resonant ad classica silvae.
 116 Discedunt, qualis remeans Gaetula per arva
 117 it leo, cui catulum Garamas e rupe propinquaque
 118 sustulit. Ille furens jam nunc incurrere malit
 119 absenti, totaque fame descendere in armos,
 120 rimatur nemus interea, siccasque cruore
 121 delambit fauces : nam sola strage futura
 122 pascitur, et valide conceptas digerit iras.
 123 Paullo aliter pygmaea phalanx. Quamquam ipsa videri,
 124 non pygmaea velit ; sed fratribus aemula Phlegrae.
 125 Olim etiam timidi fulmen meritura Tonantis.
 126 Diripiunt noctu cellas, spoliisque potiti
 127 sese armant. Verrunt hypogaea, hypocasta, culinas.
 128 O ! quoties tacitis Dea lapsibus obvia somno
 129 Luna, suo postquam praedones vidit ab axe
 130 scrutari sanctosque Lares, arasque focosque
 131 substitit, et patulae caput acclinata fenestrae,
 132 tantum non claros concusso splene cachinnos
 133 edidit, et pronam commovit pondere bigam,
 134 tertia discussis tenebris Aurora levabat
 135 purpureas nubes ; totiens mutavit habenas
 136 Hesperus ; atque ignara sibi contrarius astra

137 mutato decepit equo, solemque reduxit
 138 Phosphorus, et dulces implevit lumine fraudes.
 139 Hinc ubi rauca ciens turmas, Titane reverso ;
 140 insonuit tuba, perque cavas vox edita valles :
 141 tum cunctis arsere animi, vivusque per armos
 142 impetus, inque uno sescenti pectore Martes.
 143 Castra locant, ubi putre solum scrobs arida laxat :
 144 aut si quod collis tergo pendente levati
 145 molle supercilium secreta cubilia praebet.
 146 Stat succincta phalanx. Habiles levioribus armis
 147 intra orbem. Cataphracti alii dant agmina circum,
 148 induiti squamas halecum semesarum
 149 (armatura gravis, Siculisque excusa caminis)
 150 folliculis alii, vacuoque legumine velant,
 151 impediuntque pedes. Alii vestigia figunt
 152 ut Lapithae Faunique ; et se jumenta lupatis
 153 circumagunt, equitesque et equos poppysmate mulcent.
 154 Ocrea ducta fabis, bellis in cruribus haeret,
 155 calcar honos. Alio stimulo non indiget altae
 156 laudis amans sonipes, et qui se protinus ipsum
 157 cursurus fodicat. Mures bellantur honori.
 158 Primorum assultu poplitum diffinditur aer.
 159 In partem extremam moles erecta recumbit.
 160 Hinnit ager : plaudunt acies, quatit ungula campum.
 161 Dant gladios tepidis virgulta erepta favillis :
 162 lucidaque in clipeos sinuantur cornua fractae
 163 laternae, saevumque micant umbone rotundo.
 164 Arx capitis munita riget. Micat ardua cassis,
 165 cassae testa nucis. Cristae vaga pluma columbae,
 166 et septem crines rapti de funere felis.
 167 Fundis pisa rotant Balearibus, horrida pisa :
 168 quam longas Macedo solitus vibrare saristas ;
 169 tam parvas jaculantur acus ; infectaque pingui
 170 lardo pila linunt, ut Thrax sua tela veneno.
 171 Haec attrita nigras cogunt splendescere ad ollas !
 172 Non nocitura minus, quam jactum ancile per auras,
 173 longaque taurinis excussa phalarica nervis.
 174 Jamque adeo vexilla volant, lacerata vetustae
 175 stamina lodicis, zephyro crispata remisso ;
 176 diversos errante sinus variantia tractu.
 177 Fluctuat aeria Catus exorrectus in unda,
 178 (ludibrii genus !) et tuto per nubila saevit.
 179 Ingreditur Mures vitam indignata voluptas.
 180 Sic juvenem, primus quem Martis anhelitus afflat,
 181 quadrupedem rapiunt incensi naribus ignes
 182 in campos ; unoque loco consistere nescit.
 183 Nunc hos, nunc illos sublato corpore gyros
 184 arduus in scribit, crurumque volumina torquet
 185 in numerum : laudat domitor, cursusque negatos
 186 alitibus miratur equi : vix frena remisit,
 187 et jam transmissa fossa Pharsalica rura
 188 pervolat, aque tuba promissum flagitat hostem.
 189 Dux tanti deerat belli, qui pluribus unus
 190 imperium. Ferret, sociumque educeret enses.
 191 Ambitio, nimis acre malum, blandita tyrannis,
 192 et plus quam civile nefas ; dulcedine quanta
 193 irritas animos, quae non et pectora versas ?
 194 Dum sceptrum sibi quisque rapit de plebe ; coorta

195 seditio scindit vulgus : furor omnibus idem
 196 aestuat, in mediis bacchantur jurgia castris.
 197 Ac nisi Caelicolum Rex subvertisset iniqua
 198 consilia, ignotumque ducem prodire dedisset :
 199 in sua conversum, putri manantia tabo,
 200 viscera strinxisset pubes Maurusia ferrum,
 201 ultra Cadmaeae nociturnum crimina messis.
 202 Artepibulus enim vetitis temerarius armis,
 203 contemptore Deum caeso Meridarpage, fasces
 204 spiciferos, trabeaeque nigrae speravit honorem,
 205 aggreditur, dubiumque ad justi fata duelli
 206 provocat ; ut Capaneus olim Alcidamanta Laconem.
 207 Imperet hic, jugulum, Circo mea vota probante,
 208 alterius qui tanget acu, certamine victor.
 209 Sit vulnus judex. Magnus tamen Embasichytrus,
 210 Lichenorque, scelus sociis agitantibus obstant.
 211 Servate has vires, et non nisi rana tremendas
 212 sentiat : optati tristissima copia leti
 213 jam dabitur ; tunc has iras satiare licebit.
 214 Sic fati, avulsos hortantur jungere rostra.
 215 Illi indignantes, multumque obliqua tuentes,
 216 a Furiis alios scelerum servantur in usus.
 217 Intonuit subito laevum. Tunc omnibus aures
 218 arrectae : quem fata ducem, quem destinet aether ;
 219 quidve loqui praegnans dignetur fulmine nubes.
 220 Ecce Myocephalos inter sublimior unus
 221 virgatus fusco sagulo, plenusque cruentae
 222 felis odore recens maculoso ab Hylactore fusae
 223 prosilit, atque istaec : "Cives, ego vestra capessam,
 224 si sinitis (neque enim nunc primum stringimus enses
 225 vulnificos) ego bella geram, ventoque secundo
 226 vicitrices upubas aquilarum more levabo.
 227 Sperandi causas sedato audite tumultu.
 228 Mausolus dicor, conjunx Arimisia ; Cares
 229 reximus innumeros, olim super aethere noti.
 230 Postquam nos letum vita detrusit, uterque
 231 versus in hanc vestram, servato nomine, formam
 232 migramus : neque paenituit (Dis gratia) doni.
 233 Ante, sacro patrii insignes diadematis auro ;
 234 undantes populi fluctu frenavimus urbes.
 235 Et me saepe quidem jam tum vexata tributis
 236 omine non falso raptorem turba vocabat
 237 argutum : ac vestrae non degenerare cohorti,
 238 publica fama fuit, nocturnae conscientia fraudis.
 239 Ut taceam, quo me luxu tumulaverit uxor ;
 240 quis mea non celebrat vates pendentia vivo
 241 marmore surgentis miracula Mausolei ?
 242 Quis me laurigeris, dum mansit vita, trophaeis
 243 clarior, hostiles evulsit saepius alas ?
 244 Oceanum stravit tabulis, et monstra marina
 245 funibus implicui, nymphasque ad litora traxi.
 246 A puero vir eram. Reliquorum bella sub Haemo
 247 sudata, ut ludum contempsi, et militis umbram.
 248 Scivi artes : Thracum caestus, falcesque Geloni,
 249 Illyricos arcus ; et magnae verbera fundae,
 250 discumque Oebalium, volvendaque turbine gaesa
 251 audacis Galli. Per tanta pericula si quid
 252 creditur exstanti, juvat experientia Martis.

253 At vos in Ranas luctu suadente movetis.
 254 Ardua res ! Haerent in aquis : uligine densa
 255 vallantur, clausosque lacus obsaepit arundo.
 256 In tuto pugnant, propriique in margine regni.
 257 Vestra peregrinis Bellona sedebit in arvis.
 258 Et genus et proavos, stirpemque animumque fidemque
 259 prodigitis : caecum si non ductore perito
 260 tentatis tranare vadum. Contermina ponto
 261 devergunt loca glaucorum, vigilantibus apta
 262 insidiis. Cedunt declives undique ripae,
 263 proturbantque gradus. Quem vestrum aliquando lacuna
 264 saltem parva tulit. Sed nos cava robora silvis
 265 exscidimus quondam, et cuneis turbavimus aequor,
 266 totius Aeoliae flabris ad vela vocatis.
 267 Ingentes potui contemnere navita phocas :
 268 et timeam in caeno recubantem Borborocoeten ?
 269 Nimirum postquam bibimus de flumine Lethes,
 270 tantarum nobis subiere oblivia rerum ?
 271 Haud ita me Divi oderunt, et adhuc mihi nondum
 272 excidit omnis homo : multumque his artubus Afri
 273 clausimus, et nostro est in pectore Punicus astus.
 274 Aspice hanc pellem, funusque informe, quod ausus
 275 tollere ego : (exuvias ostendit felis inanes.
 276 Intremuere iterum, ac puduit tremuisse videri)
 277 cum foetore suo jam terram aurasque gravaret ;
 278 sublatum miros rigidi thoracis in usus,
 279 quo tectum aspicitis, nostro desculpsimus ense.
 280 Vestiat Herculeum nodato vellere corpus
 281 bellua Massylis e saltibus obvia clavae ;
 282 stet victrix mea fama mihi. Decernite tandem,
 283 quantum indignari deceat. Quid in otia luctum
 284 solvimus, et dignas maribus male perdimus iras ?
 285 Viribus utendum est, quoties Occasio tempus
 286 suggerit : e manibus nescit dilapsa reverti.
 287 Dum ranae se fonte lavant, muscoque teguntur
 288 securae, nostrosque metus in litore rident.
 289 Dum gliscunt proni magna ad discrimina sensus
 290 justo odio, squalorque recens horrore juvatur :
 291 in morte et in arma ducem descendere fas est.
 292 Discite fortunam. Letique invadite amorem.
 293 Si qua est, in vestris haeret victoria nervis."
 294 Adsensere omnes. Pedibusque choreumate moti,
 295 applausere omnes. Clypeo Mausolus in altum
 296 (quadra fuit) sociorum humeris super ora levatus
 297 Aethiopum, festisque crepat stridoribus aer.
 298 Sic ultura scelus Paridis manus omnis Achivum,
 299 vindicta flammente viros, convenerat olim ;
 300 jamque aderant magnis clipeatus montibus Ajax,
 301 et gemini Atreidae, et nasus sapientis Ulyssi
 302 et barba Antilochi ; sed dux quaesitus Achilles.
 303 Hunc procul inventum submisit Dejodamia,
 304 vastatorem Asiae, tanto gavisa marito.
 305 Mittitur extemplo, qui bellum nuntiet hosti
 306 Tyroglyphus (namque hic visus meruisse) ferocis
 307 musculus ingenii, magno satus Embasichytro.
 308 Ille ubi Ranarum curvantia litora venit :
 309 portenti species, alboque simillima muri !
 310 Sive explorator summa speculatus ab alga.

311 Viderit atratas acies : seu proditor emptam
 312 vendiderit mercede fidem, seu numine Divum
 313 rumorem belli vulgaverit ipsa Megaera.
 314 Tyroglyphus Ranas omnes offendit in armis
 315 sollicita servare suas indagine ripas,
 316 obstupuit, seque et Mausolum, et castra perosus
 317 suppressit cum voce gradum. Ut si forte viator
 318 hausturus fluvium, calcato gramine tectam
 319 serpentem premat ; et pressam pede viderit ore
 320 linguam exsertantem, et fulgentia colla tumentem :
 321 attonitus cedit retro, mortique propinquum
 322 damnat iter. Vultum exsanguem dementia versat.
 323 Haud aliter pallens iraque metuque biformi
 324 jam relegebat iter. Sed enim stimulum addidit acrem
 325 Artophagus comes indignans ; monuitque timore
 326 expulso mandata novi deponere regis.
 327 Ille : "Quid haeretis riparum in margine viles
 328 abjectaeque animae ? Indictum bellum omnibus esto."
 329 Commovit se tota palus a sedibus imis,
 330 bisque refusarum colluxit sulcus aquarum.
 331 "Accipio, regnator," ait Physignathus, "omen,
 332 bellandiique modum. Grates hoc ense rependam.
 333 Et vero facile est certamine vincere Mures ;
 334 qui nucibus ludunt, non sunt ad seria nati.
 335 Arma mihi infertis. Quianam ? Psicharpaga leto
 336 demisi. Quo teste nefas tam grande ? Natantem
 337 dejeci de puppe mea quis nostra coegit
 338 marmora, et undantem temerare Palaemonis aulam ?
 339 Decepi tenerum. Tamne alba in corpore nigro
 340 mens erat, ut liquidos speraret scindere fluctus ?
 341 Non genitus Nasamone leo, non ungula pardi
 342 attentet ; non rhinoceros, natusque sepulcro
 343 cinnameo Phoenix : et nempe hoc musculus ausit ?
 344 Quem parit ad risum facilis natura jocari.
 345 Si nescis : stabilis sunt haec divortia Mundi
 346 distinctaeque vices. Ex quo commercia rerum
 347 Saturni triplex heres partitus in assem,
 348 divisere sibi fratres mare, Tartara, caelum,
 349 sorte cuique data : scelus est violare caducum
 350 alterius. Fixas accepit in aethere stellas
 351 primus ; et errantes cohabet statione planetas.
 352 Neptuno famulantur aquae, dulcisque ministrat
 353 Cymodoce Phorcique chorus. Tenet infera Pluto,
 354 dives nocte sua. Mundum quatit ille sepultum.
 355 At non aetherius saxo Deus elicit ulla
 356 flumina ; nec madido Nereus ferit astra tridente ;
 357 imperiumve sibi Cereris gener aequoris alti
 358 arrogat, angusti contentus limite regni.
 359 Caetera, Sors eadem spatiis discriminat aequis.
 360 Aligerae volucres persulcant aera penna
 361 remige ; squamigeri pisces freta remige pinna,
 362 psittacus in ponto, mullus tabescat in aura.
 363 Est genus amphibium quoddam terraque marique
 364 assuetum ; unde etiam ludit terraque marique.
 365 Nos sumus hoc : et quem viridi crocodilon in ara
 366 frugibus ac sistris veneratur tinnula Memphis.
 367 At vapidi Mures, et noxia talpa colonis
 368 immerguntur humo penitus, latitantque cavernis,

369 infernoque Jovi parent, et felibus Orci.
 370 Quis Deus haec docuit ? Genitor famosus Apollo.
 371 Quisquis is est, crede auguriis. Oracula fibrae
 372 et nostrae spirant : veniens sententia Delphis
 373 haec in verba fluit qui regna aliena lacescit,
 374 extremum discrimen amat, nescitque decore
 375 Fortunam tractare suam sapientior odit.
 376 Immodica, et votum non ultra extendit in Orbem :
 377 ne nostras igitur lymphas, neu litora radant
 378 terrigenae ; neu sustineant sine folle natare.
 379 Subtus habent Stygiis propiores manibus aedes,
 380 caecum, immane, ingens, plenum bubonibus antrum ;
 381 si regnare volunt illa dominantur in aula.
 382 Disrumpi potuit sarcasmis talibus ictus
 383 Tyroglyphus moriens, pellemeque exire nigrantem,
 384 ac nisi parca cutem, naturae provida, denso
 385 stamine nevisset, nodosaque fila ligasset :
 386 disrumpendus erat. Pergit Physignathus ingens ;
 387 sed quid ego indoctis haec inter proelia ? Vade
 388 legate, inque vicem Mausolo haec dicta reporta :
 389 advenio furere, et bellum bellare, quod optat.
 390 Invideo tantum, quod me prius ille vocarit."
 391 Sic fatus, capulum junci quassavit acuti.
 392 Insequitur strepitus sociorum, et in arma ruentum
 393 clamor. Aquae resonant, incisaque calcibus unda
 394 spumat, et impulsis subsulant classica ripis.
 395 Qualiter ad diram Phoebei Amphionis urbem,
 396 dum jubet Aonii sceptris Eteoclea regni
 397 cedere Tydides. Vix hoc immugit aulae :
 398 jam totae infesto fremuerunt murmure Thebae.
 399 Egressi in turmas abeunt. Physignathus alto
 400 editus in solio, quod praebent vimina, censem.
 401 Malvarum foliis muniti crura, orichalco
 402 betarum reliquum defendunt corpus ; in usum
 403 scutorum aptatur contortis brassica nodis.
 404 Altius erigitur juncus. Fit cochlea cassis.
 405 Tunc sic Hypsiboas jussus procumbere Marti
 406 altisonans ; quemque extremo Gradivus ab Haemo
 407 audiit, et jacta signum dedit eminus hasta,
 408 Mavors : seu Getici culmen subsidis ad Hebri,
 409 et reficis fessos secto Diomede jugales ;
 410 seu Rhodopen glaciandus amas, interque puellas
 411 peltigeras (sunt et nobis tua cognita furtar)
 412 partiris spolia, aut crustas de Strymone trudis.
 413 Adsis, et nostrae cupias sudare phalangi.
 414 Auspiciis armare tuis immania vota
 415 poscimus, haud injusta tamen : da sternere Mures.
 416 Nam te saepe dolos meditantem nocte serena,
 417 ne notet obsessus, strepitu majore juvamus.
 418 Da vires, da tela pater, bellumque secunda."
 419 Talibus Hypsiboas tubicen de more creatus
 420 clamorem tollunt, quantum non Eurus ab ortu,
 421 non audita procul de nube tonitrua vincant,
 422 nec percussa freto rabidum latrante Malea.

IOVIS, DIVUMQUE CONCILIUM.

B3

v.1 Vedit utramque aciem jam dudum e cardine Mundi
 2 Caelicolum Sator ! Et multo se numine torquens
 3 acciri jubet armorum bellique potentem.
 4 Vade, age, Cyllenee, apta talaria plantis,
 5 sumpta cum petaso virga, per nubila lapsus,
 6 fratrem quaere tuum, gelidum delatus in Hebrum.
 7 Protinus ima petit Deus, et videt amne lavari
 8 sanguineo Martem, mersosque evolvere truncos.
 9 "Talis, ait, mihi vise Patrem. Te summa Tonantis
 10 jussa petunt." Secat ille viam, et luctatus in altum
 11 protollit corpus, currumque ascendit ahenum
 12 confestim. Neque enim liceat mandata morari.
 13 Ante Pavor, post terga Dolor latus ambit utrumque
 14 ferri densa seges coeunt examine misto
 15 tum variae Mortes, tum strictis ensibus Irae.
 16 Ipse per obstantes armato corpore nubes
 17 fertur, et evincit lapidosos grandinis imbræ.
 18 In galeam quoties rectum jubar incidit aethrae,
 19 fulgurat, et nitido soli sua tela remittit.
 20 Qui sic ante Jovem praesens ; hic Juppiter adsto :
 21 "Quem quaeris ? Quid enim mandas ? Vacuabo profunda
 22 imperia ; osque tuum, fiet manus ista, nec ullus
 23 (scis tamen ipse) tibi tam prono numine servit.
 24 Rex Superum alloquitur. Sic nempe assurge. Patremque
 25 disce tuum. Jam expone, novus quis miles in Orbe
 26 se tibi devoveat viden, ut numerosus ab undis
 27 batrachus ; ut campos late diffusus obumbret
 28 musculus ; et sese cubitis tribus altior extet
 29 tune implevisti solitis haec pectora flammis,
 30 anne soror ?" Tristem vox improvisa Gradivum
 31 perculerat ; quaerique aliquid tam vile pudebat.
 32 Nam dignum sperabat opus : nova Pergama fundo
 33 vertenda, et solo structos Amphione muros.
 34 Talis enim, talis clades et fama deceret.
 35 Ergo Jovem nimio vesanum nectare credit :
 36 infremuitque sono " Quibus, ohe gloria ! fungis
 37 praeficimur ; si bella jubes, sint digna relatu,
 38 sint Patre digna meo. Ne proelia, deprecor, ista
 39 vel Tiberis norit, vel turbidus audiat Ister.
 40 Ante quidem Mures vidi, ranaeque vocanti
 41 annuimus. Mirabar ego, quis primus in iras
 42 putre genus tantas, ignaro Marte, dedisset."
 43 Vix ea cum risu Genitor prorupit aperto
 44 seque coruscantis Nati complexibus ingentem
 45 infudit rigidis quamquam haud illaesus ab armis ;
 46 (quippe umbone ardens et duro filius aere)
 47 "Haec acies", inquit, " nostra est ; ego Juppiter auctor
 48 incussi stimulos. Sat dira novalia Cadmi
 49 sustinui, aerisonam segetem deflente colono.
 50 Sat Thebis, Argisque datum, trucibusque Mycenis.
 51 Jamque etiam nimium lacrimarum ac sanguinis hausit
 52 effusi, tellus manantibus ebria rivis.
 53 Et piget, et taedet detrusos corpore manes
 54 in totiens alios artus transferre, modumque
 55 addere crescendi. Tandem placet edere bella,
 56 quae squalore suo prosint mortalibus aegris.

57 Erudiant Orbem. Sine nunc, sine ludrica certet
 58 turba, capax leti, sed inqui criminis expers.
 59 Magna catenatis innectant vulnera sulcis
 60 ignari, rumpantque nigris mucronibus ora :
 61 dum se non homines feriant, truncandaque dextra
 62 induerit jugulo Patris, extractumque cruentum
 63 sparserit in postes. Modo nos Titania pubes
 64 non iterum incestet, captivaque sidera calcet.
 65 Anne novum bellorum uterum fecunda minatur
 66 Oedipodis conjunx, et crimina proicit astris
 67 ex gnati suscepta toro ? Quod vidimus olim,
 68 damnavitque sui genitrix Iocasta mariti.
 69 Par illud, diri quae non movere nepotes
 70 proelia ? Servarunt odia ipso in funere, saevi
 71 ad tumulos, et ad usque rogum, supremaque busta.
 72 Stet fixum dein bella veto, quibus Orbis abusus
 73 in sua damna ruit, totumque implevit Avernus
 74 stragibus, et nimiis lassatus portitor umbris
 75 integra transmisit Lethaeae saecula ripae.
 76 Sin iterum dabitur Dircaeum cernere campo
 77 prodigium Veneris sese regerentis in ortum,
 78 materno in thalamo recubans, aut cena Thyestae
 79 altera terruerit solem, mea sidera testor :
 80 non ego, non tantum torquebo fulminis alas,
 81 aut telis, Gradive, tuis ulciscar amores :
 82 sed Liparam, atque ipsos Aetnae vibrabo caminos,
 83 meque super." Mars alta trahens suspiria ab imo
 84 pectore (bellorum namque illum cura remordet)
 85 ingemit, et tali vocem clangore resolvit :
 86 "Reddo tubas, reddo arma tibi mihi barbita sumam
 87 posthac et calathos, pigrique trapeta Lyaei ;
 88 et quia tela vetor, telas urgebo, columque ;
 89 fractaque pensa geram ; jactoque per aera thyrso
 90 cum thyasis fugiam, saevo stimulatus amore.
 91 Pulcher ego Mars sum : colimur, numenque putamur
 92 scilicet, et nostris submittitur ensibus Orbis.
 93 Si populos aeterna quies amplexa coronet,
 94 quid vivo ? An satis est Mures collidere Ranis ?
 95 Pro caeli terraeque pudor ! (pallebat, et altum
 96 sed torvum ridens inter lamenta fremebat)
 97 qui rapuere Noti promissa ? Oblivia carpunt
 98 te quoque ? Mandabas : i Mars sate sanguine nostro
 99 in Scythiam, nec justa time. Tibi stringere ferrum,
 100 Tyrrhenasque tubas, tempestatesque cruentas,
 101 et mortes et bella dabo. Regat ille disertum
 102 florentemque chorum Musis addictus et hortis ;
 103 ille nemus vitesque colat, vel flumina frenet ;
 104 armorum tu jura tene, rebusque secundis
 105 adverte implacidos vultus ; ne mollior aetas
 106 torpeat, et luxus vitiis effeminet Orbem.
 107 Nec disside : viros dabimus, sponsosque Dearum
 108 horrendos, qui te ferro flammaque juvabunt.
 109 Pace tua (belloque meo) si dicere fas est ;
 110 fictum per Stygiae jurasti stagna paludis.
 111 Namque ubi nunc Cadmaea phalanx, et natus in herba
 112 miles, qui totiens nos spe luctavit inani ?
 113 Cum quererer nostrae dispendia sortis iniqua,
 114 sic solatus eras. O quae tibi praemia surgent,

115 qui virtutis honos ! Cum parturientibus arvis
 116 distendet legio glebas, clypeique recluso
 117 incipient vernare solo. Rumpentur ahenis
 118 germinibus sulci, subitas seges exseret hastas,
 119 aspectu metuenda suo, de semine dentis.
 120 Vidi equidem, placuitque mihi. Sic cresce, precabar,
 121 sic multum me plena tume sublimis arista.
 122 Vix ea fatus eram : cum formidabile campus
 123 intonat, inque manus subitas se spica resolvit.
 124 Ac si una natus tubicen turmale dedisset
 125 exitio signum ; messis se messuit ipsam.
 126 Disclusae resonant galeae ; super aequore toto
 127 intercisa crepant ferratis funera culmis.
 128 Arboream sobolem tamen altera protulit aetas,
 129 infantesque viros sursum Dodona levavit,
 130 non fecunda diu. Platanus mox mollia coepit
 131 pignora, et imbelles tellus proferre myricas.
 132 Magno animo aequales artus, et digna videri
 133 corpora conspexi rursus, viresque recepi ;
 134 cum fetus grandaeva suos, hirsutaque duri
 135 conjugis effudit catulos in montibus uxori.
 136 Absque metu turbam illa suam, quam ventre ferebat,
 137 ostendit mundo : nec ad hoc Lucina vocata est
 138 incaulam, ut tali parituram mole levaret.
 139 Non admota fuit lactentibus amphora mammae !
 140 Sed glaciem didicere pati, glandisque medullam
 141 decussae : nisi cum nostro fors fidere mater
 142 lautior intrivit manantes uberis offas.
 143 Hinc virtus solidata stetit ; nutritaque veri
 144 militis excrevit firmatis gloria nervis.
 145 Gnatos majores coliphia querna replebant.
 146 Tota fames uno pendebat ab ilicis ictu :
 147 lassatisque cibi stridore molaribus, ausi
 148 laetum aliquid, casulae collectabant in umbra.
 149 Turgida digestas ructarunt guttura baccas.
 150 Post faciles somnos in apertis frondibus, aut in
 151 pellibus Hyrcanis, flantesque ad proelia ronchos,
 152 corneus horum aliquis, soli conversus Eoo
 153 diduxit scopulos, collo tenus abditus antris.
 154 Sub noctem, in valles instar torrentis ab alto
 155 culmine decurrit. Reducem manifesta ferebant
 156 signa, sub axillis spirantes eminus alae.
 157 Hoc hominum genere, et tantis mea bella gerebam
 158 auspiciis ; donec successit inertior aetas,
 159 substituens Psyllos habituque animoque pusillos ;
 160 Myrmidones, gentem, quae dum cohibetur in arcto.
 161 Ut stipula in flammis crepitat : risumque furore
 162 provocat, ungue gruis vacuas rapienda per auras.
 163 Huc mea devenit laudata potentia quondam.
 164 At tu etiam Ranas nunc vis mihi jungere ; Ranas !
 165 Et Mures mandas in campum educere, Mures !
 166 Quos dabimus Superis ludos ? Quae fabula fiam :
 167 jussisses si cogere apes, quia numen in illis
 168 est aliquid, regumque licet cognoscere mentem ;
 169 forsitan huic uni poteram vigilare labori."
 170 Talia Mars. Tali fuit illum voce secutus
 171 Juppiter : "O nimium noster, reliquisque tremende
 172 caelicolis, qui te tantum per seria ducis ?

173 Non ego perpetuis bellum cohibebo catenis.
 174 Ut rebare, tuum : vel Jani clausa tenebo
 175 limina. Nonne vides, qualem tibi Romulus urbem
 176 struxerit ? Haec toto late dominabitur Orbe,
 177 tuque simul. Britonum terras ignotaque nautis
 178 aequora, et extremam Thulen Calpenque subibis.
 179 Longa ducum series talum tua castra sequetur.
 180 Displicuere tibi Serranus, Brutus, et ingens
 181 Fabricius, pugnansque mea pro rupe Camillus ?
 182 Mutius in flamma, Coclesque in ponte reciso ?
 183 Aemilius sibi bis geminus, ter Horatius unus ?
 184 Et Curius, qui messor eques, trabeatus arator ?
 185 Contemptorque Afri, sacraque in morte superbus
 186 Regulus, et dives paupertas nobilis Anci ?
 187 Hos, puto, laudasti. Sicut cum Cloelia Virgo
 188 per medium fluvii tractum captiva natavit ;
 189 castaque confodit calidum Lucretia pectus,
 190 vindex ipsa sui. Vidi exsultare, comasque
 191 comere re, quando consul de vomere raptus
 192 induit ante boves chlamydem, et qua ligna cecidit,
 193 percussit sontes, torquataque colla securi.
 194 At non infractus cedet Cato talibus. Heros,
 195 Marcellique truces, formidandique Metelli,
 196 velociques morae Fabii (do nomina rerum,
 197 ne tantum dare verba putas) haec numina Romae
 198 accendent falces, hastas, scabrique ligones
 199 arma dabunt ; verso pugnabunt sarcula ferro ;
 200 Inque Thybri aeratae collident rostra carinae.
 201 Omnia nec mens est, nec fas expromere fata.
 202 Tunc tu nulla mihi dices convicia vultu
 203 turbidus, et gladium raro vagina recondet.
 204 Crescit honor ducibus, cristataque gloria pilis
 205 efferet alta caput, laudemque in sanguine quaeret,
 206 Caesar erit, Pompeius erit. Quid quaerimur ultra ?
 207 Hos satis est cognosse duces : quos nulla vetustas
 208 obruet ; in totum cum fama venerit aevum
 209 et gener et socer, et fluvius Rubiconis, et audax
 210 transitus, et median tumulans Pharsalia Romam.
 211 An te plura juvant ? Europae filia nostrae
 212 divitiis felix, et Agenoris aurea neptis :
 213 torva genas, quae nunc vario se nomine vestit.
 214 In silvis interque feras assueta vagari ;
 215 tunc habitura tamen constans Germania nomen,
 216 o quibus ! o quantis frangetur adultera bellis.
 217 Regna cadent, excelsa ruent, depressa ferentur
 218 altius. Occumbet multis caelum omne ; gravabit
 219 tellurem sanguis, ponto miscebitur aether.
 220 Nempe quot ipse parens Rhenus vomet arma bicornis
 221 assurgens alte ; fraterque binominis Ister,
 222 (quippe et Danubius nascente vocabitur unda)
 223 pandere cuncta tibi vereor portenta malorum,
 224 quae Furiae per castra serent, inopinaque crescent.
 225 Cum glebae steriles inultaque terra jacebit
 226 certatura Tagum Nilumque bibentibus arvis.
 227 Sub galeis aetas omnis sudabit, et annos
 228 ornabit spoliis, et ad improvisa trahetur
 229 tympana. Subsident emotis oppida portis ;
 230 et quae suspensus vicinae nubibus arcet

231 haerebant instar scopuli ; sua claustra stupebunt
 232 convelli. Quas non artes Gens illa modosve
 233 inveniet, quibus expugnet ! Salmonea cernes
 234 non unum, nostrum fulmen currusque sonantes
 235 qui referat ; patiarque libens jaculabile sulphur
 236 flammato sparget tractu tonitrale metallum.
 237 Tot credas bellare Joves. Circumfluus aer
 238 diruet incensus subito, laxataque findet
 239 machina, et evertet nutantes turribus urbes.
 240 Inter quas unam si tu quoque, nate, videres
 241 fumantem, et faciem Trojae flammasque ferentem.
 242 O quid agis, Virgo thalamum violare parata,
 243 fide seni, qui te dictis castigat amicis.
 244 Sic tibi dilecto vives servata marito ;
 245 non aliter : nam si pergis contemnere veri
 246 amplexum sponsi, peregrinaque basia praefers ;
 247 Bellona ultrices attollet pronuba taedas.
 248 De sene, cui mallem miserandam fidere Nympham,
 249 pauca tene. Vix ullus erit, quem sistere possis,
 250 quem conferre velis. Virtuti immania vota
 251 jam juvenis faciet, ferroque inflectet olivam.
 252 Afra sitis, Rhodopea fames, Alemannica bella
 253 majorem pascent. Censebitur una voluptas,
 254 duratas sulcare nives, ex casside frigus
 255 lambere, et hibernis gelidam sub pellibus Arcton
 256 aspicere, ut ponto mergi tardata repugnet.
 257 Hic nec ab eventu pendebit strenuus ; et cum
 258 ferrea bis septem consumperit ordine lustra,
 259 ipse sibi suus augur erit, plenusque triumphis
 260 campo decedet. Per cujus nomen et umbram
 261 posteritas jurare volet. Sed et alter, et alter,
 262 contendent aequare ducem. Seu Cimber aperta
 263 regali Tritone ferox prorumpet in arma :
 264 seu qui falcatis renovabit monstra quadrigis,
 265 non nisi calcato positurus Caesare ferrum ;
 266 seu qui stante potens sua stagna Aquilone secabit
 267 victor, et ingentem propellet ab aequore classem.
 268 Ille valebit equis remisque, et stragibus Orbis
 269 collapsi utetur ; docilis larvasque minasque
 270 spargere, et ignavam promissis tundere plebem ;
 271 virginis auspicium calvae studiosus utraque
 272 observare manu, vultu ridere doloso ;
 273 dum propior patriae, aequa admotus ad ubera regni.
 274 Armatis precibus Germanum emulgeat aurum.
 275 Finio. Quae Fato volvente sequentur, ab istis
 276 qualia nunc tecum soror admolitur in Hebro,
 277 crede mihi, tantum distabunt proelia bellis,
 278 quantum Sarmatico secedit musculus urso,
 279 et superat minimam balaena Britannica ranam.
 280 (Mavors ingenti diduxit labra cachinno ;
 281 malles plorantem, tantus fuit horror in illo)
 282 Quo sensu aspicies, fili, tot funera passim
 283 sparsa jacere solo ? Quantum bibet alta cruoris
 284 fraxinus ? Affixas quot non tua lancea calvas
 285 in nubes porrecta geret ? Refer ergo quietam
 286 in melius mentem, et placide nostrum accipe ludum.
 287 Dum narrata tibi decerpatur proelia tempus,
 288 interea dabimus belli praesaga futuri

289 hos, simulacra, Neoptolemos ; non apta ferendis
 290 corpora vulneribus, tamen antra lacusque loquentur
 291 quid factura hominum scelerata nocentius aula,
 292 munitumque nefas residens in turribus altis.
 293 Tristia Sphynx inventa parat quae musculus armis ;
 294 haec et homo bellator aget, pejoraque magni
 295 larvata facie statuent exempla tyranni.
 296 Nil sine consilio est. Ranarum in tergore fata
 297 portantur, cladisque ingens aenigma recumbit."
 298 De genibus Mavors, sed enim mox surgere jussus
 299 grates laetus agit ; placataque fulmina Patris
 300 lambit, et assiduum Brontem promittit in Aetna,
 301 immiscetque preces : "Si non aversa tibi mens,
 302 huc quoque convenient nostrae, tua cura, sorores."
 303 Annuit ; et Maia genitus mox fertur in Idam.
 304 Cyprumque, Cnidiasque arces, et Maenala luco
 305 aemula Taygeti, vicinaque fana Cybelli.
 306 Quaeque gemelliparo nova claruit insula partu.
 307 Accitique omnes Divi. Latonia cervis
 308 invehitur, serpente Ceres, Tritonia curru
 309 quadrijugo ; Bromius geminis cum lyncibus intrat ;
 310 cum Phrygibus Superum Mater turrita jubatis.
 311 Candentes Erycina regit sublimis olores.
 312 At pedes, et nullo Tirynthius appulit ingens
 313 vectus equo, pompa et luxus pertaesus inanis.
 314 Villosus partem spatiosi tergoris implet
 315 fulva pelle leo. Quercu fulcitur adusta.
 316 Ipse secat medias, sectasque viriliter auras
 317 calcat, et ingenti duplicat vestigia passu
 318 immodicus. Nondum decimum promovit ab Oeta ;
 319 jam reliquis vicinus adest, Matremque salutat.
 320 Conseruere manus ; tremuitque a pondere nubes
 321 insiliente Dei. Manifesta pericula casus
 322 Mulciber expavit, sapiens a vulnere primo.
 323 Et placuit fabri timor omnibus. Unica Juno
 324 (cause later) se concilio subtraxit. Ab arcu
 325 quod suspensa suo, cum fletu nuntiat Iris.
 326 Adsunt et fluvii : quorum ne absentia terris
 327 obsit, et arentes discedant pulvere ripae ;
 328 Nympha trahit fontes, urnamque vicaria volvit.
 329 Primi aderant venti. Tamen hos reverentia cogit
 330 postremos fieri. Qui, cum turmalibus aethram
 331 perfurerent flabris, immansuetoque susurro
 332 atria completerent ; Jove solum hiscente steterunt.
 333 Oclusisque manu presserunt sibila labris
 334 Tunc sic Omnipotens : "O nostro effusa cerebro
 335 progenies : (veneratur eum, decuitque minorem
 336 poplitibus fieri, et demissam accedere terrae)
 337 cernis, (et ostendit) quantus se exercitus arvis
 338 inferat. Armorum campus repletur ab umbra.
 339 Auxilio dignata tuo lectissima bello
 340 pectoris, praetenta Mures defende Medusa.
 341 Nam virides Ranas praeses Latona juvabit.
 342 Da specimen, quod sis nostro de vertice nata.
 343 "Et dabo", Pallas ait", neque enim parebo monenti.
 344 Scilicet hanc mundi faecem Patrona tuebor
 345 hostes Diva meos ? Mea qui delubra pererrant
 346 semper, et incestis deformia sordibus implet.

347 Quid ? Quod Erythraeis pretiosa monilia conchis,
 348 sertaque sacrilego morsu decerpta profanent.
 349 Quid ? quod ab aetheria flagrantem lampade succum
 350 meque bibant, roremque sacrum pallentis olivae.
 351 Quid ? quod in augusti caelestia serica pepli,
 352 nostra picta manu, rabies male sana nocendi
 353 impulerit, totamque, (nefas) corruperit artem.
 354 Mitius, ut flavae numen regale Minervae
 355 inter Mygdonias contempserit una pueras,
 356 corpore suspenso damnata furoris Arachna."
 357 Haec effata, simul peplum mirabile monstrat
 358 ambesum. Quae bruta fames intacta reliquit ;
 359 sunt testes artis, sunt argumenta decoris.
 360 Ipsae relliquiae laudem nomenque merentur.
 361 Ingenium posuit formas, solertia filum,
 362 materiam dispensat acus, variatque figuratas.
 363 Omnia vel vivunt, vel sunt mendacia vitae.
 364 Vera putet, sed facta placent simulantia verum.
 365 Summa : trophaea Jovis, statuit quae plurima mundo
 366 nondum fuscus erat prima lanugine malas
 367 sub genitrix Rhea, nec adhuc juvenile vagatus ;
 368 jam propriiora polo sensit discrimina, Patri
 369 ereptus. Tinnit Corybas, suaque aera fatigat,
 370 Saturno natum sene praetereunte puelum.
 371 Et vere vagit puer, et sua cymbala vere
 372 Curetes quatiant, tamquam si sentiat auris.
 373 Juppiter in Latio dormit, placidamque quietem
 374 quam dedit haec tellus, meliori munere pensat.
 375 In fruges fecundat humum, Cereremque maritat
 376 lenaeo non ulla manus tam fallere docta,
 377 tamque minus, teretes digitos felicius egit
 378 in tramam ardentes cupias decerpere gemmas ;
 379 usque adeo maturat acus. Mustumque propinat
 380 ante diem. Niveo vincit candore ligustra
 381 synthesis ; alternis sublucet purpura filis.
 382 Jurares spirare crocum ; vaccinia nigro,
 383 et violas humiles, violae pallore notari.
 384 Concipit et linum Zephyros. Nascentibus herbis
 385 permistae serpunt hederae ; conjungitur ulmo
 386 foederibus textis e lana pendula vitis.
 387 Qua flavum trahitur filum, flavissima messis
 388 insequitur ; qua sanguineum vindemia labris
 389 spumat, et in Phrygiam procumbunt orgia telam.
 390 Addidit et fontes, qui passim in sindone sudant,
 391 bullit ab argento trepidatque argentea lymphae,
 392 sparsaque deducti percurrunt carbasa rivi.
 393 Addidit et certis distincta elementa corymbis,
 394 sopito famulata Jovi, et mulcentia somnum.
 395 Nec confusa jacent : Naturae cernitur ordo.
 396 Terra stat, unda fluit, ineat aer. Emicat ignis.
 397 Terra pedes tangit, pectus circumfluit unda ;
 398 per nares aer meat, et capite emicat ignis.
 399 Parte alia veli descripserat horrida bella
 400 Centimanum, et longe Inarimen super aethera jactam.
 401 Se quoque pugnantem, durantemque Aegide vultus
 402 marmoreos. Petulans et commeritus laqueum mus
 403 hoc ipsum foedavit opus, rositque maligno
 404 dente tenax : periit lusus felicis imago,

405 solaque divini superant emblemata limbi.
 406 Quo dedit expressum facinus crudele Belarti,
 407 anguipedes inter quondam summosque Gigantes
 408 principis hic alio Frandildus nomine dictus,
 409 semideus, postquam Jovis est susceptus in aulam ;
 410 ambitione sacra flagrantia fervidus arma
 411 corripuit, totum debellaturus Olympum.
 412 Sed cum jam fureret traheretque in vincula stellas ;
 413 excidit infelix, immanibus excidit ausis.
 414 Et frustra stolidos implevit numine fastus.
 415 Quippe toro prostans, et se positurus in umbra
 416 fraxineam incubuit Martis porrectus in hastam,
 417 impiaque aeterno conclusit lumina somno.
 418 Nec non et pretium qui formidabile pacti
 419 jurarunt commune nefas, tumidumque mimantem
 420 porphyriumque trucem, natumque Damastora Caco ;
 421 marcentes epulis socios nimioque Lyaeo,
 422 nudati feriunt gladii, jugulosque resolvunt
 423 incisos redit in phialas nutantiaque orbe
 424 sigmata permistus scelerato sanguine Bacchus.
 425 A Satyris praeceps data funera fune trahuntur
 426 contorto. Caelum omne tonat, tellusque remugit
 427 jam levior : respirat ager, perque avia silvae
 428 jam secura canit pastorum fistula Mopsum :
 429 et sibi gratatur tutos Amaryllis amores.
 430 Omnia Palladius se tota Pallade pollex
 431 fecit, et arguto glomeravit singula tactu.
 432 Quisque decens rerum color est. Convivia fumant ;
 433 ex auro surgunt mensae. Funduntur ab ostro
 434 vitra, reluentes attollunt vasa smaragdi.
 435 Paene etiam fremitus caedentum auditur, et una
 436 caesorum stridor. Perfossa cadavera fetent
 437 tam nebulis pertusa, ut abesse notetur ab ore
 438 Spiritus, et paullo tamen ante fuisse sub ore.
 439 Hic discat mors ipsa mori. Sulcata cicatrix
 440 eminet, et grandes buxo signantur hiatus.
 441 Florida qua summus clausit subtemina margo :
 442 vivus adhuc, turgensque minis Frandilus et ira,
 443 ut turpi macie curisque exesus anhelet,
 444 ad jubar imperii, radiato fingitur arcu ;
 445 Mercurio responsa dare, et contemnere divos.
 446 Caeruleo glandes oculi de stamine turgent.
 447 Nasus agit rhonchos. Rugis fons abdita byssso
 448 flaventi, barbaeque vapor diducitur atra.
 449 Caetera vastator mus cernere texta negavit.
 450 Talia dum cupido defixi lumine lustrant,
 451 mirantur Divi ; simul indignantur, et atros
 452 Musulmannigenas inversa cuspide damnant.
 453 "Hosne ego defendam ?" virgo Tritonia reddit.
 454 Hosne ego ? Quam jacio, sese prius induet hasta
 455 in folia et frondes ; atque hastam jecit in auras.
 456 Hunc uterum (monstratque Jovis caput) ipsa verendum
 457 dedecorem ! Si tela tamen fatumque minaris,
 458 eligo Gorgoneis Ranas umbrare cerastis.
 459 Ignosce : et Ranas odi. Nam semper amantem
 460 otia, cum somnum sub lauro fessa vocarem ;
 461 scilicet infestis a me pepulere querelis."
 462 Dixerat. Extremas voces Latona probavit,

463 multa fremens super his : "Lycidas quis nominat", inquit,
 464 saltantes in aquis, tantum ad convicia natos ?
 465 Aestus erat, totumque Leo succenderat axem :
 466 ardebant nimiis exusta caloribus arva,
 467 nosque siti. Gemono soboles portata lacerto,
 468 ubera pulsabant tremulis siccata labellis ;
 469 desisto ; narrare pudet. Nil durius umquam
 470 sensimus. Hausturam latices vis rustica stagno
 471 arcuit, et limo venam turbavit aquarum.
 472 Quid tale ausa fuit Niobe ? Quam nostra peremit
 473 filia post natos, justo damnavimus ore
 474 barbara corda virum. Saliat, trepidetque, vomatque
 475 nunc licet, et clamet submersa palude caterva ;
 476 raucaque perpetuis consumat litibus aevum.
 477 At quam pulchra mihi vano Tegeaticus Ales
 478 proelia promisit flatu ? Quid ad ista vocavit
 479 dedecora ? Infami juvat hoc exesse theatro.
 480 Illusae sumus. Abscedo. Abscessitque marinis
 481 rupibus illapsa, et Delo se condidit alta."
 482 Concussum est magno Superum genus omne tumultu ;
 483 obque eadem tacite certamina ludicra mussant.
 484 Jamque soror Phoebi, jam Phoebes frater, et angues
 485 Aegide concutiens, stimulos abitumque sub alto
 486 corde volutabant, subituri moenia Cyrrhae.
 487 Praecipue Venus, ut Mures in casside vident,
 488 non nisi dilectae pennas fixisse volucris
 489 contemptu. Teneros sensus testata decoris
 490 fletibus, et crudum sic est affata maritum :
 491 "Ergo meae tantum galeis, ludibria belli,
 492 affiguntur aves ? Tuque ad scelera ista silebis
 493 saeve ? (silebat enim) Quin et saevissime rides ?
 494 (riserat) Hoc merui mulcens post proelia fessum !
 495 Thrax ingrate mihi. Si corvus et atra deesset
 496 noctua : non quererer. Nunc Cypria luditur ales.
 497 I tamen, et nostrum conjunx ulciscere probrum."
 498 Mavors , seu simulans, seu vere percitus ensem
 499 nudabat, jamiamque ruens in bella ruebat,
 500 inflexus precibus. Voto Saturnius obstat,
 501 et Mures jugulare vetat : "Neque te decet, addit,
 502 huc ferri rapidum, et viles abscindere vitas.
 503 Vos porro sanguis meus, et formosa voluptas,
 504 Caelicolae ; tuque alma magis Dictynna, decusque
 505 Phocidos intonsum Pataraee, et filia nostri
 506 sincipitis ; quae bella parem, cur talia cogam ;
 507 accipite haec animis, altoque recondite sensu.
 508 Scitis, et in vestris etiamnum mentibus haeret
 509 Terrigenum furiale nefas, dira ausa Typhoei
 510 a pede convulsos vibrantis in aethera montes,
 511 Cum stetit Ossa super contorta nivalis Olympum,
 512 quis non expavit ? Pangaea volantia ruptis
 513 vallibus, in nostram cecidissent paene sororem.
 514 Machina tunc, sedesque Poli turbata : refugit
 515 Signifer ; audivi in cunis vagire minora
 516 sidera, et interitum non interitura timere.
 517 Fulmen erat dubium, nisi nostra rotasset in hostem
 518 dextera, quem vincatum cohibet Trinacia ferro :
 519 sudat ubi curvum caput ad sua membra retorquens.
 520 An reliquias memorem, quas magno pectore curas

521 interiore premo ? Quanto sudore cavemus,
 522 ne leges Natura suas violata queratur !
 523 Jam fastum elido, jam torqueo pectus avarum ;
 524 jam caecas crucio fraudes, iramque retundo.
 525 Nunc caditin poenam poenae secura libido ;
 526 evertaque toros, et proscribendum Hymenaeum.
 527 Non unus de Matre nepos effunditur heres,
 528 saepe sui patris frater punire fatigor ;
 529 et pudor est, totiens pavefactum avertere solem.
 530 Atque utinam interea, vel parvo tempore, fessi
 531 vestrum aliquis caperet frena imperiosa Tonantis ;
 532 disceret invidiam tumidis avellere votis ;
 533 et modico vilius contentus farre polentae,
 534 mallet in exiguis pavisse mapalibus agnos.
 535 Est aliquid, summum Mundi, mihi credite, pondus,
 536 ferre, nec oppositis frangi vel cedere Fatis.
 537 Secula donamus : caelestes volvimus orbes :
 538 torquemus nimbos ; fruges ubi sicca negarit
 539 tellus, in dulces uxorem solvimus imbres.
 540 Quod ver molle rosis, aestas cingatur aristis,
 541 temperet immitem brumam confinis Iacchus,
 542 musto praela fremant : nostrum sunt omnia munus
 543 num quisquam idcirco vel nos mortalis adorat ?
 544 Vel colit obsequio supplex ? Perjurat et odit,
 545 imponit linum capiti, spoliatque corona
 546 caesariem ; raditque femur, si bractea fulget.
 547 In fano dat tura, domi clam devovet Orco,
 548 dira petunt, non casta satis, non digna mereri ;
 549 quaeque palam nollent plebis constare tribuno.
 550 Sunt, qui me fatuum credunt, minimumque deorum,
 551 insanumque vocant, quoties incanduit aether
 552 ignibus abruptis. Peccanti indulgeo ? Credunt
 553 et surdum. Tamquam larvae sua vota dicarent,
 554 sic colimur. Qui nunc stat in alta Juppiter ara ;
 555 urceus ante fuit, vel fragmen inutile pelvis.
 556 Parcitur argento. De vili ducimur aere.
 557 Quodque diu sonipes versavit in ore metallum,
 558 in nostram effigiem liquefit. Primordia testor
 559 Elysiae noctis : nisi me Natura rogasset,
 560 ut regerem ; pridem voluisse abscedere caelo.
 561 Atqui ego nunc seriem poenarum et vulnera verse
 562 instigenda Reis. Cogam. Jove digna, fateri
 563 invenisse Jovem magni tormenta doloris.
 564 Sint agros, Thebaeque, joci nunc seria restant.
 565 Excessit scelus omne modum ; cum crimine crescat
 566 vindictae mensura meae, seque impleat ipsam.
 567 Haec caussa adventus vestri, mea pignora. Quanta
 568 supplicia exposcam praeterlabentibus annis ;
 569 quot mortes manesque vagos : in imagine sola
 570 cernetis belli, quod mus et rana movebunt.
 571 Parva mora est : jam se accingunt, aptantque lacertos.
 572 Me dante hos animos ; furiasque afflante sonoras.
 573 Quidquid eis diri eveniet ; deducat in omen
 574 posteritas, Fatumque vocet ; credatque latere
 575 tristius, atque oculis deflendum ex marmore caesis.
 576 Quod rationis inops patitur putredo ; sequentis
 577 umbra mali tantum est, et primae linea mortis.
 578 Queis animus putet : qui versat in ulcere mentem ;

579 qui pecudum ritu vivit, cum pulchrius illis
 580 sortitus lumen, se caelo extendere possit :
 581 qui caprum in venis, bubonem in pectore nutrit :
 582 qui fastu tumet, aut rapto lascivit in auro ;
 583 qui flatu violat stellas, et numina poscit
 584 detrahere ; illum, illum mala nota Gigantibus, illum
 585 Bella prement non visa prius, verique labores.
 586 Sancio ; ne porro nostrae penetralia mentis
 587 nudet, et excutiat quisquam sollertia urnam ;
 588 sancio ; ne absenti Latonae Tantalus ullus
 589 quae statui, quaeque hac pugna durante videbit,
 590 evulget. Dignas dabit illa superbia poenas.
 591 Nunc agite, et curis placide super astra remissis ;
 592 dum veluti praetor, Romani gaudia Circi,
 593 do gladiatorum ludos ; consulque cruento
 594 amphitheatrales illustro munere nubes ;
 595 pensilis orchestrae cuneos insidite. Dixit.
 596 Majores sedere : deum succincta minorum
 597 turba stetit. Fluviorum humeris et grandibus urnis
 598 Aeolidae incubuere ; jacet pars maxima retro.

PRAELIUM ET CONFLICTUS.

B4

v.1 Jamque remensus iter per vasta silentia noctis
 2 Tyroglyphus, reperit Mausolum forte severa
 3 jura suis dantem, et timidum de tristibus actis,
 4 culpantemque moras non jussa exspectat, ad arma
 5 vociferans : "Date tela viri ; Physignathus omnis
 6 egreditur ; scelus, arma parat ; non aestimat aequum ;
 7 legatos temerat. Date tela. Erumpite castris."
 8 Erumpunt. Quales apri, quos tristior antro
 9 clausit hiems ; simul insequitur venator, et hastam
 10 intorquet librans certae irritamina vocis ;
 11 ocius una omnes frendent. Stant horrida saetis
 12 tergora ; fulminei stringuntur in obvia dentes.
 13 Pastor ad haec pallet trepidans, et fronte relicta
 14 histricis in morem surgunt horrore capilli.
 15 Et jam intra junci jactum bellator uterque
 16 stabat, et erectum tentabat figere pilum.
 17 Admoratque tubam diffundere classica jussus
 18 Hypsiboas. Fremitum lituis majoribus augent
 19 conducti culices (cilices dixerunt Sabaei)
 20 principium tristi pugnae ferae daturi.
 21 Sed suprema Jovis praevenit buccina signum.
 22 Intonat, et nimbis Aquilo submugit hiulcis.
 23 Calliope ! - namque ipsa duces cognoscere belli
 24 diceris, et fatum cujusque notare lapillo -
 25 quippe memor : seu quos inimica incendia Trojae
 26 hauserunt ; seu quos Simois demersit et aequor
 27 Tyrrhenum, Siculumque fretum, Dolopumque cruentae
 28 dejecere manus, et Doricus abstulit ensis.
 29 Da vati memorare tuo, quo lancea primo
 30 quaeque inter Mures Ranasque sit acta per auras.
 31 Quod genus occiderit, sint et sua nomina famae.
 32 Primus in adversum fertur Physignathus hostem,

33 armiger ad latus, et calamis impleta resectis
 34 corytos, quamquam cursum natura retardat.
 35 Intumuit virtus sociorum prodiga vitae
 36 exemplo, viresque capit de rege propinquu.
 37 Corripiunt spatia, et medio gradiuntur in orbe
 38 lunatamque aciem reddunt. Hac arte laborant
 39 effusi circa cephalos includere furvos.
 40 At Mausolani protecti corpora scutis
 41 ante dolo adverso, late in contraria vertunt,
 42 cornuaque extendunt equitum. Dictator amarum
 43 praefurit, et totas secum jubet ire catervas.
 44 Qualis in arma leo fulva cum conjuge vadit,
 45 si quando stimulavit Arabs ; negat ille timere,
 46 sed ruit horrendum adsultans, catulique sequuntur.
 47 Jamque adeo miscent facies, haeretque viro vir
 48 consertus. Densis acubus juncisque serenum
 49 aufertur. Pudor est, obnixae cedere turbae.
 50 Ut si tabe nivis verno jam sole solatae,
 51 Montibus hibernis, geminus de vertice torrens
 52 descendat, pugnentque suam confundere brumam ;
 53 mox ubi convallis mixtos angusta recepit ;
 54 ire simul spumant. Tamen et violentior unus
 55 fluctuat ambiguum, fluvioque immania juncto
 56 saxa rotat ; mox et totus luctatur in arva.
 57 Sic Glauci Maurique ruunt ; sonitumque voluant
 58 acceptum late loca, donec inertia passim
 59 corpora volvuntur tellure cava deppressa.
 60 Quot tumidi montes, praeruptaque culmina surgunt
 61 Carpathio in pelago fundum verrentibus Euris ;
 62 funera tot dispersa jacent, gressumque morantur.
 63 Limnisii instantis telo cadit alite fixus
 64 Sitologus : felix et non ignobilis olim
 65 miles in Atraciis campis, aptusque legendis
 66 Thessaliae spicis. Cadit, heu, germanus eadem
 67 Sitophagus canna. Nam dum discrimina ferro
 68 dissipat alterius ; meruit procumbere fratriis
 69 ante pedes. Multum ore pares et corpore toto ;
 70 denati natique simul generosus uterque,
 71 Castoris ingenium, Pollucis et ora ferebat.
 72 Illi trajectae fauces haerente sagitta ;
 73 huic medius pulmo junco stridente reclusus.
 74 Nunc inhumata jacent durante cadavera bello.
 75 Ah ! alias saevas arguti evadere Feles.
 76 Ecce volat sublimis acus contorta per auras
 77 Limnisiunque rapit. Pavet auctor vulneris hujus.
 78 Seque ostentat agens tamen, et sua praemia poscit.
 79 Artis opus : recta vitae in penetralia misit
 80 sterneris hoc telo, pronaque extenderis alvo
 81 batrache subsiliens ; tepidam non amplius undam,
 82 sed Phlegethonteam posthac bibiture paludem.
 83 Inde furore semel concepto saevior arsit
 84 Tyroglyphus : (namque ille fuit, quem missile tanto
 85 funere donarat) veluti Gangetica Tigris.
 86 Cum semel armentum coepit vastare, famemque
 87 sanguine permulsit ; saturari immidis, obesa
 88 colla ferit majore gula. Grex omnis in uno
 89 spirans ore tremit, gemit inter funera pastor.
 90 Haud aliter Maurus propulsa per agmina praeceps

91 emicat ; et simul hunc, simul istum diripit ingens.
 92 Hunc recto gladio, tortis hastilibus istum.
 93 Hic cecidit pronus, collabitur iste supinus.
 94 Pileon retro nuper plaudebat et ante :
 95 nunc retro solum ; neque enim miser audeat ante.
 96 Crambophago excutitur viridi conjuncta galero
 97 cochlea ; sed vano (nam se sinuaverat) ictu
 98 lancea transabuit. Galeae non ille cadentis
 99 sollicitus ; sollers autem metuensque pericli
 100 fugit ad extremos, voluit Polyphonus euntem
 101 percussus terrore sequi ; qui poplite caeso
 102 sistitur, et multas una cum sanguine voces
 103 evomit, ac tristi manes clamore salutat.
 104 Musulmannigenae laetis successibus instant,
 105 caligantque bonis fatis. Campoque fruuntur.
 106 Integra jam legio patitur ; caesimque resectus,
 107 vel punctim fixus lacero cadit agmine miles
 108 batrachus. In pedibus non est spes ulla salutis.
 109 Quis cumulum illius clavis stipataque plaustris
 110 funera describat ? Caedentes sustinet una,
 111 altera pars caedit. Quidam et fugientibus usi,
 112 in caput impingunt clipeos, in pectora testas.
 113 Tam robusta prius, confertaque glauca juventus,
 114 perdita paulatim spatio vanescit inani.
 115 Ut cum semiferi caluere in proelia Thraces,
 116 indomitum cratera inter furiosaque vina :
 117 ingens fermebat numerus, pecus omne biforme,
 118 Centauri : mensis ubi pugnavere remotis ;
 119 vix ullus superest. Silet evacuata taberna.
 120 Hic manus, hic costae poplitesque, immania membra,
 121 foedo more jacent truncis ruber ebria fossa.
 122 Limnocharis tanti quia Tyndaris altera belli,
 123 paelex Argivae non impar femina lenae ;
 124 territa conflictu (media in certamina traxit
 125 hanc quoque dirus amor) non sufficientibus armis
 126 qua gaudet, repeatet aquam, quis Fata retardet ?
 127 Illam erumpentem et multo conspexit opertam
 128 pulvere Mausolus, quatiens forte obvius hastam ;
 129 et secum abduxit pedibus post terga revinctis ;
 130 Gaudia servilis lusus post bella daturam.
 131 Heu ! misera et foedo mortis devicta timore
 132 rana Helena, ah nescis veri discrimina Martis
 133 in galea. Quid fata fugis ? Fugientia pulsant
 134 agmina. Praestaret ritu pugnasse Camillae.
 135 Pulchrius in media virtus succumbit arena.
 136 Jam vastata phalanx, viduataque cornibus ibat ?
 137 Jamque alios alias super exorrectus in armis
 138 occupat Artophagi sica. Qui se omnia in ora
 139 vertit, et in telum rapit obvia quaeque ; canistrum
 140 et Cererem, non hos concessum munus in usus.
 141 Assuetus vitiis Lichenor praedo, cadaver
 142 expoliat, quodcumque ferit ; defossaque gibbo
 143 ranarum, illecebris inhians, spolia ampla requirit.
 144 In modico clivi cilio, quod respicit Austrum,
 145 Hypsiboas stabat, pugnantesque ore ciebat.
 146 Illum Lichenor tractus nidore rapinae
 147 olfecit, praedamque recens. Mox ordine rupto
 148 occupat ascensum, tacitoque per edita gressu

149 nititur, et stricto terret mucrone : "Quid inflas
 150 osque cavum exerces ? Vires", ait," exsere, vires.
 151 Tympana tolle tua : aut albenti ventre verutum
 152 accipe." (Et ante ferox crispaverat ora verutum.)
 153 Jus sacrum salvi capitis praetendit, et orat
 154 Hypsiboas veniam, sancitam gentibus olim.
 155 Cui nocitus enim tubicen ? Quem laedat in alto
 156 colle situs, Martique canens ? Maurusius ater :
 157 "O nate in Phrygiis lacubus segnique palude,
 158 et non Oceano, vel bellatricibus undis,
 159 quas voluit Thybris Pater, Aetolusque Achelous,
 160 frustra jura citas ; quando sub judice ferro
 161 vivimus ; hoc legum vindex, mensura rigoris.
 162 A capulo, non a patulo Victoria rictu
 163 dependet. Vincit miles, qui robore vincit."
 164 Vix haec effatus resupino incurrit, et ictu
 165 deicit. Audivi ducibus te, Batrache, certos
 166 delicias nutrire pedes. Da hoc munere vesci.
 167 Nobiliore nequis cella, tumuloque sepultus,
 168 quam sit aqualiculus noster, meliore recondi.
 169 Sic ludit verbis, et crus praedulcis opimi
 170 amputat, inque suam mittit jentacula peram.
 171 Vix ea : cum findens immani turbine campos
 172 aeris hasta volat, valido Lichenora flictu
 173 corripiens. Trahitur diris devotus et ardet,
 174 contemptum que luit. Subitum per et ilia telum
 175 exactum est laevumque latus. Quis torserit auctor,
 176 agnosci nequit. Quis enim ? Nisi Juppiter ipse
 177 ad Minoa citans sontem. Nam tempore ab illo
 178 Musulmannorum res est sublapsa referri
 179 visa retro ; obscuraque manum de nube sinistram
 180 tollere sidereus Pater, atque avertere vultum.
 181 Quondam etiam Ranas oculis Deus aspicit aequis,
 182 immittitque animos, stimulatque insurgere in hastas.
 183 Inclinatam aciem toto Physignathus agro
 184 colligit : "O segnes, qui sic in bella venimus.
 185 Ardor ubi vultusque truces, promissaque vota ?
 186 At non et pigri clamoribus inter aquosas
 187 Naiades vestrosque lacus ; ubi signa choreis
 188 Tritones dederint ; tum vos statione movetis,
 189 tum pedibus quatitisque salum, et vada caerulea lapsu
 190 verritis, atque hilaris lascivia regnat in alga.
 191 Nunc, cum pugnandum est, armis marcere remissis,
 192 degeneres juvat, et linguis pro viribus uti.
 193 Si quibus et virtus, pudor et dolor, iraque luctu
 194 mista super, nec adhuc Neptunus pectore totus
 195 abscessit, sanctusque tridens : nova Fata. Deosque
 196 ipsi ipsi faciant, meme et mea signa sequantur."
 197 Sic ait, inque globum pulchre moriturus et hastas
 198 irruit. Audentem furor et fortuna gubernant.
 199 Qualiter elisis contortum nubibus exit
 200 fulmen, et in terram cum strage, fragore, tumultu
 201 praecipitante ruit ; mundumque ex aere lapso.
 202 Territat igne volans, et ab omni parte timetur.
 203 Tali, si qua fides, cursu rex fertur in hostem.
 204 Caetera plebs imitata. Pudet sine caede reverti.
 205 Dat cuneus late sulcum divisus ; et astu
 206 cornibus exclusis Physignathus omnia tentat ;

207 saepe aliquid, quod nec suasisset nobilis ira
 208 Aeacidae. Mauros ille implacabilis, ille
 209 concitus Aethiopes vel pone vel ante repertos
 210 perforat. Artophagus canna in pulmone recepta
 211 volvitur, ejectatque animam ; atque in terga recumbit.
 212 Eripit hostilem parvam, et defensus utraque
 213 Pelobates, multorum humeris inopinus inhaeret.
 214 Applauditque solo ; et septena cadavera saepe
 215 uno continuat junco, ferit inguina fortis
 216 Tyroglyphi, galeamque rotat, vexillaque fracta
 217 discutit ; et fixo comitem mucrone sub umbras
 218 mittit Pternophagum, adverso cui corpore plaga
 219 sedit, et ad costas cordisque repagula venit.
 220 Librata aversum beta, caput Embasichytri
 221 detruncat, corpusque cadens proculcat eundo.
 222 Haec addens : jam nigra tibi dent Tartara cenam
 223 Cerbeream. Neque enim posthac gustare licebit
 224 furtivas epulas : sed quam Proserpina furno
 225 admovet, incensam coquus ingredieris in ollam.
 226 Straverat et plures, nisi fortior Artepibulus
 227 tardasset cursum. Ferus ille, atroque colore
 228 obsitus amentat, jaculumque immane recedens
 229 expulit. It pars rapta veru, jugulumque cruentat.
 230 Concidit exanimis subito : pus effluit atrum.
 231 Non utique hoc dignus leto. Sed stare secundis
 232 quis potuit rebus, votoque beatior esse,
 233 quam voluere Deae ? Manes ulturus amicos
 234 insidiatorem Cereris Calaminthius urget.
 235 Huc sacrae Aonides, vatis fulcite laborem.
 236 Seu Turnus Divum invidia defunctus in atrum
 237 Memnona se vertit, majoraque membra subegit
 238 forma minore modo, minimosque redigit ad unguen
 239 seu ferus Hippomedon Crenaeum flumine mersum
 240 mus factus post fata luit : novus ecce duello
 241 exprimit Heroas veteres, animamque trilibrem
 242 Artepibulus habet. Stans obtruncatur, et ipsis
 243 vivit in exequiis. Umbrae cane Musa triumphum.
 244 Contendit Glaucus vires ; sonuere reducta
 245 vimina, et ingenti tonserunt nubila jactu.
 246 Musculus obliquo sinuamine corporis arcum
 247 eludit ; tremuere quater cum cuspide nervi
 248 vibrantes : quater exhausit solertia cannam.
 249 Horrendum visu ! Disrupto in fine tenore
 250 concita, et ad ranam retro dubitanda cavitatem
 251 Fata, per has venit, quas persulcaverat auras ;
 252 et paene assiliens. An lusus ? An error ? An omen !
 253 Eminus haec : "At non pariter", Calaminthius inquit,
 254 "cominus evades pugnanti, o perfide ! Necte
 255 eripiet nobis cum tota Colchide coctum
 256 hippomanes, si quod linxti. Pudor, arte profana
 257 militis in bello, et damnatis ritibus uti.
 258 Si tibi mens non laeva foret, justumque probares
 259 et veniens a morte decus, tua pectore nudo
 260 non in Thessalica virtus radice lateret.
 261 Maure niger, di te perdant ; et stridula circum
 262 occisi volitet funus Psicharpagos umbra.
 263 Congredere, ut glaciem quamcumque Artmisia fibris
 264 inspersit Medea tuis, hoc ense resolvam."

265 Sic fatus, quem Troxartes aptaverat ensem
 266 falcatum ex beta, ter in orbem et in aera ductum
 267 vagina nudat, miscetque immitia verba,
 268 terreri indocilis stat masculus Artepibulus,
 269 obliquatque latus ; ceditque, instatque, premitque
 270 cautus, et obsequio membrorum temperat ictus.
 271 Hos cavet, hos pellit sollers, et obumbrat et exit
 272 pronior, atque humili tangi, mediusque timoris,
 273 tu reptare putas. Simulat tamen, oraque retro
 274 abducens, magno nisu vestigia figit,
 275 ex improviso tollit se in vulnера rectum,
 276 et fit eques, totoque alium stat corpore supra.
 277 Alter ad haec anceps ; magicisne rigesceret herbis
 278 musculus esuriens in trulla forte repertis ;
 279 et timet et terret ; terrendo assurgit in altum
 280 (quamquam aegre) spernitque timens, et acinace lato
 281 sauciatur, inflexamque secat radicibus aurem.
 282 Dextra cadit. Nihil ille notat metuitque sinistri ;
 283 nec cecidisse videt (tamen uidi labe cruris
 284 barba madet) perstatque gradu, velut hispidus ursus
 285 qui quadrupes lambit catulos ; surgensque tuetur,
 286 defenditque bipes. Natis a Muribus olim
 287 contigit exemplum tam rari militis unum.
 288 Batrachus indignans Fatis proprioque dolori,
 289 eductum gladium raptim cava tempora circum
 290 turbinat, et partem caulis jacit. Ille remittens
 291 tela, micat rostro, inque pedes subducitur imos ;
 292 et resilit, ludensque alios interserit ictus ;
 293 nec timet urgeri. Capit ingens vulnus in armo ;
 294 stat tamen. Incisus pede posteriore vacillat ;
 295 stat tamen, et neandum cedit, convicia ranarum
 296 ingeminans. Tandem caput a cervice revulsum est ;
 297 stabat adhuc, donec truncum pede propulit hostis.
 298 Sic quoque cum cecidit, voluit nocuisse videri.
 299 Fluxit in arma cruris, motu quo rivus in altum
 300 Emicat, et spargit rorantes fontibus auras,
 301 quos retinere nequit collapso fistula plumbo.
 302 Parte alia Regina furens Artmisia fertur.
 303 Mausolumque juvat, saevitque, et Amazonis imples
 304 implacata vices. Quacumque impugnat, hiatu
 305 dissilit exsternata acies ; multaque dolendus
 306 caede Paludanus Rex ardua funera plangit.
 307 Hypsiboas claudus media tellure jacebat ;
 308 quem tamen occurrens peltata Artmisia spernit ;
 309 indignumque ira reputans mactare superbit.
 310 Non humiles vulgi manes, et caedere molles
 311 corporibus ; sed enim Ranas in casside clausas
 312 expedit, adversisque impingit pectus et hastam.
 313 Prassiphagus cum patre cadit ; cum fratre sonorus
 314 Craugasides : equites omnes. Sed nullus eorum
 315 a se ipso defensus equo est, confossa vomebat
 316 viscera Prassiphagus, telum pater ore momordit.
 317 Craugasides reliquos animans ad proelia cives
 318 cantu imperfecto, mucronem faucibus hausit.
 319 Et fuit hic cantus casu lacrimabile carmen ;
 320 quale strepat corvus moriens, vel noctua dira.
 321 Jam neque Troxartes, qui circum castra fremebat
 322 hactenus, ignavus pugnat ; quamquam obsitus annis

323 magnorumque altor furum, gaudere senecta
 324 posset, et emeritum guttur servare rudenti,
 325 aut Feli. Nimium memoris dolor iraque mistas
 326 extimulant luctu vires, adduntque nocendi
 327 robur, et ulcisci carum Psicharpaga suadent.
 328 Te petit et clamat, te unum Physignathe poscit ;
 329 te cupit occiso lacrimas pensare profusas,
 330 inferiasque sui gnati deferre sepulcro.
 331 Tigris ut effeta, atque olim satiata rapinis
 332 sola sedet, senio vires tardante ; nec iras
 333 unguibus educit, quales prius. Ast ubi clamor
 334 in silvas ruit, et saevi reminiscitur hostis ;
 335 pigros sese annos supplet, juvenesque furore
 336 transilit, et plus quam tigridi licet, audet in armis.
 337 Dire senex, superisque invise ! Quid ultima perdis,
 338 munera, quae extremum Cerealia rodere posses
 339 frustra in bella ruis vindex, et fata laboras
 340 corrigere : haec tantum fiunt meliora ferendo.
 341 Dum furis et strides ; vix horrida verba profari
 342 desieras ; jam te calamo septemplice fusum
 343 explicat interdum, consurgens Borborocoetes ;
 344 et jubet, ut natum Genitor miserande sequareis ;
 345 ac referas, quanti Ranarum proelia constent.
 346 Maesta necis facies. Non uno vulnere ruptum
 347 corpus procubuit, miserando more ; jacentis
 348 semineces miciuere pedes ; tamen ora palude
 349 avertit, qua submersum Psicharpaga novit.
 350 Hostis contemptum funus project in undas :
 351 "Hanc bibe", dixit, " aquam, quam filius." Ille gravatus
 352 armis descendit auris fuit ultima visa.
 353 Pergit ovans, additque alias pereuntibus umbras ;
 354 Pternoglyphum, quamquam obsessum durumque secari
 355 discluso thorace ferit. Praetenta caducis
 356 missilibus lacerna crepat. Nux plurima jactu
 357 decidit e galea, vertexque inglorius armis
 358 obstantum, mortique pater. Tamen omnia cautus
 359 spicula (non semper cautus, dilataque mors est)
 360 vitavit, socium involvens. Succiditur ense
 361 Lichopinax, nam nulla fuga est. Abdomine tardus
 362 deliciis farto, nequit evasisse sequentes.
 363 Dentibus excussis crepuerunt vulnere malae.
 364 Lychomylen (crudele !) rapit Pelusius unco.
 365 Maesta precabatur ; sed quid suspiria rupi,
 366 quem lacrimae tales umquam movere tyrannum ?
 367 Aspirat fortuna, supraque pericula fertur
 368 qui magis est audax. Ventum ad tentoria regis
 369 Memnonii via vi tandem penetratur, ad imi
 370 carceris informes cippos, ubi lurida turpi
 371 Limnochatis squalore jacet, validaque catena
 372 stringitur. Hanc salvam decussa compede tollit
 373 herbosum in clipeum felix Seutlaeus amore ;
 374 et reliquis multum mandat sua gaudia nymphis.
 375 Illa lacum repetens, fatisque exercita belli,
 376 otia damnato Mavorte palustria praefert.
 377 Arva rubent, et vix densatis sufficit agger
 378 funeribus. Passim caedes, ululatus, et hastae,
 379 et junci mediis rorantes ossibus exstant.
 380 "Saevus ubi", rex increpitat Physignathus ingens,

381 "saevus ubi Mausolus, et atro Artmisia vultu
 382 Penthesilea furens ? Ubi vani gloria fastus ?
 383 Dictaque prodigiis nostras aequantia Phocas ?
 384 Illepidi fungi, nec curis apta severis
 385 pectora. Tunc celeres estis, cum mucida signum
 386 mappa dedit, patulasque afflat gravis amphora nares,
 387 telorumque vicem contorta tomacula supplent."
 388 Infremuit Mausolus ad has cum conjugē voces.
 389 Illam adeo secum certa in discrimina dicit,
 390 certus et ipse necis ; conjecta sustulit hasta
 391 Prassaeum ; lateri regis qui proximus haesit
 392 armiger. Heu, frustra totiens laudatus in arcu
 393 et disco, glaucisque choro certante puellis !
 394 Discissus medium. Pars terrae affixa quievit ;
 395 pars permissa Noto ; pars stagno injecta natavit.
 396 Regis ad exemplum fortis, sed dispare casu
 397 Troglodytes noctu solitus turbare cavernas,
 398 tunc acer miles, nec cuspide certior ullus)
 399 sudavit madidum prosternans Pileona.
 400 Vim cohibet frater Pelusius ; et bene magnum
 401 sustulit e ripa saxum, limoque gravatum
 402 immanem torsit nixus post terga ruinam.
 403 Labitur in terram, ceu toto oppressus Atlante
 404 mus trepidans, rigidosque pedes exporrigit arva.
 405 Quid juvat audacem bello vincente fuisse
 406 Troglodyten ? Quando tandem solertia fortis
 407 defuit. Incautus dum tela minatur et urget,
 408 sorex indicio se prodidit atque peremit.
 409 Vis sine consilio non est diurna, suaque
 410 mole ruit. Totiens Ithaco Telamonius Ajax
 411 cesserit, et clipei rigidos septemplicis orbes
 412 substernat gladio, si quem libraverit astus.
 413 Vera adeo paucos in bello Gloria dicit,
 414 aut sequitur. Sapiens iram moderatur, et intra
 415 mentis castra tenet. Frustra sua bracchia jactat
 416 centimanus Briareus, caeco si nullus opaca
 417 sol a fronte micet, totidem qui dirigat enses.
 418 Mausolus super unus erat de pluribus : illum
 419 et sua fata premunt, letique animosa cupido
 420 admonet ; ut celebri funus memorabile fama
 421 includat. Rapidas igitur movet undique turmas,
 422 quas desperatus conjungit, et ultimus horror
 423 mittit in auxilium. Quot milia dissecat ore ?
 424 Quot Ranas umbone necat ? Quot casside sternit
 425 incurrens ! Seutlaeum uno transverberat ictu,
 426 et super incumbens fatur : "Mihi praestrue fossam,
 427 atque Umbris memora, nostros mox affore manes,
 428 lucraris medium mortem, sensumque doloris.
 429 Ecce cadis dextra minime, Seutlaee, pudenda.
 430 Rex ferit, et caesum tristi caput immolat Orco ;
 431 avulsitque caput cadit ille extrema secutus,
 432 et moriens frustra patrias se vertit ad undas :
 433 "Nil prodest, occise, tibi solvisse ligatam
 434 Limnocharin ; tamen illa tuos deflebit amores.
 435 Te liquidae viridi lacrimantur in amne Napaeae ;
 436 te Dea Leucothoe vitreis deplorat ocellis ;
 437 te bulla lucente palus Maeotica plangit.
 438 Nec tibi profuerat titulus regalis aquarum

439 Hydromedusa : nisi obliquatam concitus hastam
 440 fregisset, conviva tuae Pelusius aulae."
 441 Ipse quoque Hypsiboas per tot discrimina rerum
 442 salvus adhuc, a rege perit. Qui caecus in ira
 443 fervet, et extremum per strages quaerit honorem,
 444 exspectatque suos obitus. Mirabile ! tellus
 445 panditur angustum muris parvumque foramen
 446 fit barathrum, mundique aperit latebrosa nocentis ;
 447 et paene ad Stygios patuit nova semita mancis.
 448 Qualiter immensas post strages ruptaque claustra,
 449 cum spelunca ingens tremuit succussa fragore,
 450 Amphiarae, tuos currus niger hausit Avernus ;
 451 et non paevisus Parcarum fila notasti.
 452 Sicut erat, clipeo gladioque instructus et ocres
 453 Mausolus, cedente subit tellure profundum
 454 absorptus, caelique sui descendit in antrum.
 455 Longa acus infernas pupugit vicinior umbras.
 456 Gleba coit. Frustra quaerat vestigia casus
 457 miles, et attonitus timeat monstrata viator.
 458 Et nunc ille locus magno terroris honore
 459 vitatur. Propiusque cavent accedere Mures.
 460 Fama est, huic ipsas tumulo decidere Feles.
 461 Glaucom in castris latas Victoria pennas
 462 explicat, et festo clamore incenditur aer.
 463 Ranae omnes mirante metu laetoque pavore
 464 insessae, tantis vix audent credere Fatis.
 465 Qualis ubi occubuit stabulorum terror et hostis
 466 saepe lupus populatus oves, oviumque magistros :
 467 gaudet ager, gaudent silvae ; memoresque coloni
 468 damnorum, super arboribus se fronde coronant,
 469 et debellati furis de clade queruntur
 470 ipsi agni exsultant, et tondent laetius herbam
 471 securi. Pacem viridis modulatur arundo.
 472 Tali more fremunt ranae, divosque quieti
 473 aequoris extollunt caelo ; Phorcique repexam
 474 canitiem, Phoebique sui genitoris et arcum
 475 et pharetram. Veluti toto jam Marte peracto
 476 inclamat Paeana. Movens lacus omnis ab imo
 477 ebullit fundo. Per stagna virentia duci
 478 credas caeruleis in curribus Amphitriten.

BELLI ET SPECTACULI FINIS.

B5 v.1 O ! nihil in vanis umquam durabile rebus.
 2 Saepe suos versa tumulat Victoria sorte
 3 victores. Quaedam Divum sunt munera, numquam
 4 nota satis. Noceant : nisi cum virtute fruaris.
 5 Semper tuta time. Nam quae pacata videntur,
 6 interitum damnosa tegunt. Discrimina tecta
 7 plus odii, plus mortis habent. Fallacia pulchra
 8 gaudia fronte latent. Numquam non incluta virtus
 9 excubat, et celsa tacitas speculator ab arce
 10 pervigil insidias. Hic est me judice felix :
 11 qui licet exorsus defigere castra secundis

12 alitibus, domitosque manu prostraverit hostes ;
 13 prima quidem carpit, metuit tamen ultima finis.
 14 Relliquias belli haud tuto contempserit ullus.
 15 Nam luet : ut ranae, solito properantius algam
 16 intempestivis quae vestivere triumphis.
 17 Concurrunt Mures damnatae munera lucis
 18 magnanimi abjicere, atque mori cum rege parati.
 19 Ad quos sic fata est Artmisia Centaurea :
 20 "Audentes video. Macti, quos conjugis hausti
 21 fata vocant : alacres aciem instaurare supremam.
 22 Alternat Bellona vices, miserosque reversa
 23 sublevat, et stimulis fibras majoribus implet.
 24 Jam nunc edico. Quis quis timet esse sepultus
 25 Mausolo cum rege suo, mortemque veretur ;
 26 hinc abeat, mutetque manus et cingula ponat,
 27 qui pavet, ipse sui lictor, tormentaque clausa
 28 gestat, et a sese justo configitur hoste.
 29 Fortibus indigeo, quos ipsa pericula durant,
 30 ferratosque chalybs acuit. Per Memnona juro,
 31 cujus in ore sacrum gerimus nigrante colorem :
 32 sim licet e molli sexu, me occumbere malle,
 33 quam fugere, aut partam vitio corrumpere famam.
 34 Argia, Evadne, quaeque est mihi numine major
 35 Hippolyte (namque has bello viguisse puellas,
 36 dum vescebar adhuc hominum communibus auris,
 37 cognovi) residens animo memorabile nobis
 38 suggerit exemplum. Pudeat non esse secutos
 39 facta viros, quae feminei statuere lacerti.
 40 Praemoneo : procul hinc migret, qui palpitat ante
 41 tympana, Ranarum choreis, non muribus aptus.
 42 Tantane dulcedo lardi, vitaeque cupido
 43 nos retrahet ? Quid enim aspicior ? Conjungite sensus,
 44 sitque palam votum, calido quod pectore fertis,
 45 Bello an pace mori, labor anne ignava voluptas,
 46 quid juvat hos animos ? Fingamus in agmine vinci,
 47 gloria nos tumulat, cinerique imponitur olla.
 48 Pessima fata domi. Segnes, a fele perimus.
 49 Nos catus, an catulus furiarum semine natus,
 50 vinculaque et tribuli, crepitansque ciconia rostro
 51 exspectant, digitoque domus non altior uno.
 52 Quanto Mausolus nostro felicior Orbe
 53 excessit. Famae ipsius longissima cauda
 54 numquam abscondetur ferro ; non dentibus aevi
 55 rodetur, nullam mortis passura securim.
 56 Suscitet accinctos animos Mavortius heros
 57 Tyroglyphus ; servata ducis vexilla videte.
 58 Suscitet Artophagus ; quique inter stantia solum
 59 funera censendus, nec vespillone profundo
 60 Artepibulus eget, laudanda vel hostibus umbra.
 61 O pepones ! si non istos imitamur, et enses
 62 inferimus tumulis, nullo terrore domandi.
 63 An non sarcasmis alias vexamur amaris ?
 64 Speluncasque cavas latebrasque habitare silentes
 65 dicimur, et solem nobis odisse propinquum ?
 66 Dedecus hoc abolere potest et vertere fundo
 67 ista dies. Nondum toti, modo fortia agamus,
 68 excidimus ; sequiturque cruor de vulnere nostro.
 69 Egregius nobis etiamnum Cnissodiocetes

70 restat, et horrendi Meridarpax nominis ulti,
 71 trans mare, trans Gades Ranas versurus abactas,
 72 irruite, et nostris jam tandem credite Fatis."
 73 Irruit atra cohors, quo saeva Artmisia ducit.
 74 Et primo inventum (tanti stetit otia tuto
 75 degere) dilaniant ac spargunt Borborocoeton
 76 undique perfossum. Vix ullus funera plura
 77 ediderat, Muresque illis agitarat in agris.
 78 Mitior Hydrocharis, sed non et mitius hostem
 79 sensit. Acus jugulum penetrat districta, brevique
 80 vicinum collo nimium caput. Inscia caedis
 81 in placidis errabat aquis. Propterque salicta
 82 ludebat : cum Maurus adest, timidamque trucidat.
 83 Tunc quoque parva licet subito de gramine tela
 84 carperet, obsessum corpus tuitura, tuendi
 85 natura dictante modum ; tamen errat in ictu
 86 imbellis totiens, et numquam strenua ; quamque
 87 vibratura fuit, succumbens porrigit herbam,
 88 os impressa solo, atque oculos trajecta trementes.
 89 Subsedit ; velut irriguo quae regnat in horto,
 90 postquam messorum falces urtica recepit ;
 91 secta ruit, nullis manibus puerisve timenda.
 92 Centum alii obliquis, rectis, crudelibus, altis
 93 vulneribus laceri, sub portu gurgitis udo
 94 bellaces efflant animas. Pelusius unco,
 95 quo prius induerat Mures, raptatus eodem
 96 (ludibrium fortuna parat) de nominis usu
 97 jam vere mordebat humum. Calaminthius ense
 98 transfixus ; qua parte micant vitalia colli,
 99 oppetiit, calatum jam jam sparsurus acutum.
 100 Non inter cannas, sicut sperabat, et ulvam
 101 compostus ; sed enim media tellure relictus,
 102 visceraque effusus. Super hunc Dominator aquai
 103 cum peteret junco reginam, in Amazone sistens,
 104 Cnissodioctaea cecidit Physignathus hasta.
 105 Terra dedit sonitum, motae tremuere paludes.
 106 Audieit et si quis vicina mergus in unda
 107 tunc forte hausit aquam concussus membra fragore.
 108 Seminecem dictis agitant : "Saevissime jactas
 109 Neptunum regnare tuum ; nunc denique sentis
 110 nec nostrum dormire Jovem, qui crimina plectat.
 111 Hoc te Psicharpax cum vulnere mittit ad Orcum.
 112 I nunc, et tumidas infla Physignathe buccas."
 113 Tundit humum pedibus moriens, atque ore receptum
 114 versat acumen acus. Nihil hi juvere labores.
 115 Ipsa etiam ferro cedens lorica fefellit ;
 116 quam tamen ex betis flexam majoribus olli
 117 Seutlaeus gestare dedit ; qui laevibus hamis
 118 conseruit scissa densa internodia crena.
 119 Quae rabies ! credas rapuisse sororibus atris
 120 stamina Ranarum, et pedibus calcare nefandis.
 121 Crescit in immensum furor, atque inventa sub Hebro
 122 tristia molitur, totamque exscindere gentem.
 123 Hostem unum in cumulum densato milite cogunt,
 124 inque globum juncti socio conamine Mures
 125 tormentum murale rotant ; quo bellica motu
 126 urgeri catapulta solet. Detorta resultant
 127 allia, ceparumque pilae. Lita sulphure tela,

128 excussa ancillae manibus, dum cuderet ignem
 129 e silice. Hic demum excidium fatale tulisset
 130 caeruleo populo telorum ferreus imber ;
 131 ni Superis aliter visum. Congesta videbat
 132 funera (monstrat enim Pietas) camposque refertos
 133 stragibus innumeris, sub Olympi valle propinqua
 134 communis Natura parens ; quae pectore magno
 135 omnes, quos genuit, natorum inclusit amores,
 136 et dulces animarum ortus, concessa deorum
 137 munera, complexu foveat et servare laborat.
 138 Ergo furens luctu, lacrimis praegrandibus ora
 139 scissa rigat, rapidisque Jovem pulsare querelis
 140 instituit, stabat canos laniata severos,
 141 nudatos exserta sinus, inarataque vultum
 142 planctibus et pugnis, sacroque horrore verenda.
 143 Invalidae summo nutant in vertice turres.
 144 Vocem ubi singultus concisaque verba resolvit ;
 145 taliter atrata cum majestate profatur.
 146 "Magne Pater, quae signa noto praesaga malorum ?
 147 Quas clades ? Iterumne paras viventia terrae
 148 saecula, subtili compacta Prometheos igne,
 149 ad deforme chaos primamque reducere massam ?
 150 Sed non haec olim nobis promissa dedisti
 151 imberbis, nondumque pater dignare per aevum
 152 annalesque tuos, et priscae tempora falcis
 153 (quamquam non opus est memori) transacta redire.
 154 Inspice, quas Lachesis tabulas, te Fata movente,
 155 scripsit : Amaltheae pellis quid diphthera Caprae
 156 contineat. Sacris olim mea jura sub aris
 157 inconcussa Themis semper statura canebat.
 158 Et steterant aliquot lustris. Cum crimina totum
 159 polluerent mundum ; nec jam tibi fulmina lasso
 160 sufficeret jaculanda Cyclops, lassatus et ipse ;
 161 fratrem immisisti populis ; qui pronus aperto
 162 aequore, et effusis super ostia fluctibus, altis
 163 Montibus incubuit, scopulisque extantior ivit.
 164 Quid non passa fui ? Gremio quot corpora nostro
 165 eripuit stygiae sulcator pallidus undae ?
 166 Illa tamen largo pensasti fenore damna.
 167 Paene fuit tanti, partem periisse meorum.
 168 Nam sublime animans, quod tollit ad aethera vultus.
 169 Deucalionae repararunt semina dextrae.
 170 Frigida fecundo tumuerunt saxa calore,
 171 In formam mutata novam, non pronuba Juno
 172 exsolvit partus : sed praegnans marmore funda
 173 evolvit pueros de costa rupis acutae
 174 decisos. Simulatque silex projectus in auras ;
 175 mox verus recidebat homo, cavitque ruinam.
 176 Surrexere viri, consurrexere puellae ;
 177 et parvae Pyrrhae, nascendi sorte peracta,
 178 viderunt timide majoris brachia Pyrrhae.
 179 Tunc etiam ventrem fecundum silva, marito
 180 flante Aquilone tulit ; viridis cunabula fagus
 181 praebuit : e querno protrusi robore fetus
 182 aspexere diem. Vidi, et spirantia vento
 183 membra tuli. Rupto nemorosae cortice matris,
 184 grande puerperium testatus pusio fluxit.
 185 Innumeris frondosa manus, distincta capillos,

186 floruit in summis felix infantia ramis.
 187 Tunc ego gaudebam, et magnis cingebar alumnis.
 188 Tunc mea divino turgebat rore papilla,
 189 luctanti distenta sinu. Nam spes erat omnes
 190 sic reparare feras (ne dicam perdere) blandum
 191 velle Jovem. Quid jam video ? Quibus Orbis in oris
 192 vensor, ut aspiciam primis contraria fatis ?
 193 Tamne alte insedit cordi ? Cogarne tueri
 194 stirpe tenus caesas ipso cum nomine Ranas ?
 195 Quod scelus hanc poenam meruit ? Quae causa benignum
 196 evertit genium ? Quo spes tam fida recessit ?
 197 Ne mihi, ne vilem jacturam durior ore
 198 spernendamve voces. Hoc Mavors Sarmata dicat ;
 199 et qui naturae non experiuntur amores.
 200 Tu, sate Saturno, calles, quo condita visco
 201 quaeque traham ; qui me affectus rapiantque ferantque,
 202 nil equidem parvum reproto. Stant omnia justo
 203 pondere, et aequali complector singula cura.
 204 Tam mihi rana leo, quam musca elephantus. Ab imo
 205 ordior, et nullo discrimine misceo summa.
 206 Musicus est ordo Mundi ; mutusque carebit
 207 concentu veteri, numerum si dempseris unum.
 208 Ut sileam concepta semel volventibus Austris
 209 per reliquas late silvas incendia ferri.
 210 Prima palus, non Oceanus, siccabitur aestu,
 211 indigenis viduata suis, sors altera Pontum
 212 hauriet, inque freto nantem Delphina necabit.
 213 Inde boves grassata trahet, vastabit et ursos ;
 214 et ruet in Libyca stabulantem valle leonem.
 215 Quid statuisse rear tam saevo vindice dignum
 216 limnisios ? Misereor : juncis squalentia regna,
 217 quasque alias piscis fastu contemneret undas,
 218 Hydrocharis contenta colit ; librataque saltu
 219 te laudat sub aquis, sub aquas ubi forte residit.
 220 Utile deinde genus pretioso funere pascit
 221 mortales, mensisque argento infertur et auro.
 222 Et quia caelesti gaudet genitore planeta,
 223 praesentit sudum, et clari commercia solis.
 224 Certius in Cyrrha nemo praesagia novit.
 225 Audio. Vindictam mersi Psicharpagos umbra
 226 exposcit. Satis exstincti commissa luerunt.
 227 Strage lacus calidi fumant. Cumulatur acervo
 228 batrachus et campos operit. Jam corpora desunt,
 229 quae gladii caedant hebetes ; et lividus aer
 230 inficitur tabo. Nemesin mirare pudendam.
 231 Si deliravit vitio Physignathus unus,
 232 cur non et poenam subiit Physignathus unus ?
 233 Hic damnandus erat. Merito sua fata querantur
 234 pendere supplicium populi pro rege coacti.
 235 Scilicet expulso violarunt Pallada somno !
 236 O durum facinus septena Cyclade dignum,
 237 fortasse et picea taeda, totoque Perillo.
 238 Si qua tamen mansit, Latonae deprecor iram,
 239 et fateor patrasse nefas, quo viva negarunt
 240 pocula. Tolle omnem veniam : quae bellua tandem
 241 a poenis immunis erit. Numquamne caballus
 242 principis Othrysii, fessusve laboribus Aethon
 243 caespitat ? Idcirco flaventi bile refusi

244 caelicolae insistant confringere crura reorum ?
 245 Quam lente indignans urget sarraca Bootes ;
 246 sed salvis bubus. Quoties Berecyntia mater
 247 ferrea conqueritur frena excussisse jugales ?
 248 Nec tamen exarmat. Tuus, o justissime rerum
 249 Arbiter, haud raro quaedam commiserit ales
 250 flammiger, evulsis alis plectenda, vel igni,
 251 quem gerit. Officio nam cum poscente ministrat
 252 spicula, te rostro nonnumquam corripit unco.
 253 Non ideo genibus detractum in Tartara mittis ;
 254 sed placet, et superis excusas nobile vulnus,
 255 vel leviter parcente manu contingis ovantem.
 256 Quid, precor, armavit solas paene improba totum
 257 In Ranas Astraea Jovem ? Nativa rogamus
 258 quae nituit quondam, rigidum clementia vultum
 259 explicet. Immeritae si non stat parcere genti ;
 260 saltem parce tibi. Crescit successibus audax
 261 ambitio, scelerumque parit portenta novorum.
 262 Finge (quod horresco referens) prostrata jacere
 263 agmina Glaucorum, et nullum superare nocentem ;
 264 se Mausolani credent stravisse, suisque
 265 viribus asscribent. Tumidi praecordia bello,
 266 terribiles animos cristasque et cornua sument ;
 267 jactabuntque decus, conjuratique movebunt
 268 In Superos acies, pejoraque signa Ephialte.
 269 Ecquid ages ? Strictum temnunt Orionis ensem.
 270 Anguiferos clipeos glacianteque Aegida rident.
 271 Caelum Fele caret. Timeo ludibria Divum.
 272 Quid non audebunt vobis praesentibus ausi
 273 talia ? Nonne vides, ut me vix ista gemente
 274 tristibus alloquis, Meridarpax ventilet hastam ?
 275 Insurgit ; neque desistet, dum fortior omnes
 276 expulerit vita Ranas. Succurre peccanti,
 277 En manibus lacrimisque precor : succurre ruenti
 278 naturae, qui cuncta regis. Sic questa sub ipso
 279 conticuit luctu. Matrem solantur anhelam
 280 alma Ceres atque alma Venus, laudantque dolorem.
 281 Instabat ludi finis. Saturnius alto
 282 corde graves simulans curas, immotaque primo
 283 Fata loco ; duros vultus nec amabile numen
 284 fingebat. Cum nube cava se desuper alta
 285 demisit Juno, pendensque ingressa theatrum
 286 affudit fratri genua, et sic orsa marito est.
 287 Non nos, quod superis munus spectantibus edis,
 288 respuimus tibi nupta Soror. (Neque enim ista potestas)
 289 quamque vicem misi, Dominam Thaumantias Iris
 290 excusare suam potuit. Nam nos quoque Mures
 291 odimus. Haec causa est tardae Junonis. Ab ira
 292 nulla venit tum deinde timor (nam femina conjunx,
 293 et quamvis tua sim, tamen huic obnoxia curae
 294 femina sum, facilisque aliquos admitto pavores)
 295 invasit me deinde timor ; ne forsan et ipsa
 296 in ludo fierem ludus Regina Dearum
 297 non semel incurri probrum, te Fata citante
 298 semper, et Uxorem salibus placante facetis.
 299 Absentis ridetur avis, (quo rettulit Hebe)
 300 laudanturque pedes ; contra splendere negantur
 301 sidera pennarum. Collum non esse decorum ;

302 quo tamen ingenuum nullique imitabile cygno
 303 fundatur carmen, toto mirante Caystro ;
 304 quando nec ipsa gemat Philomela suavius, alas
 305 uberibus crevisse videns. Num flebile pomum
 306 excidit, et Phrygius, qui me contempsit, adulter
 307 posthabitam Veneri ? Sic et Lavinia virgo
 308 Aeneae servata fuit, quae debita Turno ;
 309 Turno nempe meo. Numquam non regia Juno,
 310 pro dolor, in scenam sub tali conjuge venit.
 311 Hanc quoque nunc poterat totiens experta vereri ;
 312 Quippe memor : quod cum tuus ille puer Ganymedes
 313 immortale merum nuper tibi porgere justus,
 314 tantum infudisset, quantum non ante bibebas,
 315 dixeris ad mensam lepidum te cogere bellum ;
 316 quo nihil audierit, nec viderit improbus Sol.
 317 Scilicet in Mures et Ranas armiger ibas
 318 quid si me, ut patrio projectam vertice natam,
 319 his praefecisses ! Quo, dic, Cytherea meusque
 320 Alcides, (meus ille meus) quo Bacchus, et alta
 321 sprevisset fastu nostrum Tritonia numen !
 322 Vidimus ista tamen de fulva proelia nube,
 323 vidimus, et si vera fides datur integra nobis,
 324 prona Naturae questus audivimus aure.
 325 Justa gemens poscit. Flecti patiare rogamus."
 326 Dixit, et amovit nimbos a fronte serena.
 327 Continuo risere faces lucentis ab ore,
 328 vernalitque rubor roseus. Quantumque Diana
 329 pulchra Deas vincit ; vincit tantum ipsa Dianam :
 330 "Surge Soror, laterique meo conjungere", frater
 331 incipit. "Ah non es nobis dubitanda, nec umquam
 332 displicuisse potes. Charites sunt jurgia nostra,
 333 sunt et amor. Quid vota facis ? Desiste precari,
 334 velle tuum, si vel solis in nutibus offers,
 335 jam sperata tenes. Cupimus te vincere nostris
 336 o ! Juno, obsequiis. Vinci patiare rogamus.
 337 Quae pia Naturae pro libertate rogasti,
 338 pondus habent. Evidem fusas jam sisto querelas.
 339 Et ranae vivent, et Musulmannicus hostis
 340 cedet agro." Sic effatus circumspicit Orbem,
 341 et torvo vultu dudum sua nubila cogit.
 342 Dein Marti : "Rapidis immissae jugalibus", inquit,
 343 "quantis ad Rhodopen te fers, i, comprime Mures."
 344 Thrax sacer : "Insanam mene hanc compescere turbam
 345 sperasti Genitor ? Non si comitetur euntem
 346 Caucasus, et vallis Nemees, succinctaque monstris
 347 Africa ; et inferni patrui sub missa quadriga ;
 348 componam : tua sola potest, tua dextera tantum
 349 sola potest frenare nefas, molire tumultus
 350 aetherios, tostasque hiemes includitur Aetnae
 351 proice per nubes ; et adhuc pendebimus omnes,
 352 ne cadat in vanum teli jactura trisulci."
 353 Quod mirere ; doli gnarus ludique Gradivus
 354 talia cum dixit, potuit compescere risum.
 355 "Tu quoque si scisses Alcmenae credite fili
 356 arcanos, haec bella, jocos : non tanta pudoris,
 357 a patre delusus, cum damno probra tulisses."
 358 Cooperat accitum frigusque calorque coire,
 359 et circum mugire lacus, tellusque movere.

360 Nil trepidant Mures, et fausta tonitrua credunt.
 361 Apparent summis ardentes montibus hastae,
 362 fasciaque atra polo mortes suspensa minatur.
 363 Maurus, ut ante, salit. Cum tempestate sonora
 364 excidit incensum fulmen, stringensque sinistrum
 365 tempus, in ambustum cecidit Meridarpagos aurem.
 366 Discutit ille nigrum caput experrectus, et aethram
 367 subsiliens spectat, libatque impune favillas.
 368 Augentur flammarum undae, lateque coruscum
 369 sanguine pingit iter barbati sideris horror.
 370 Visae etiam fatuae per tetrica nubila Feles,
 371 ut dedit e terra tracti vertigo vaporis,
 372 ecce repens telum rutilantibus evolat alis,
 373 disjecitque nucem galeae, cristasque comantes.
 374 Musculus alta tuens se tantum accusat inertem,
 375 excusatque Jovem. Quoties vaga fulgura lucent :
 376 "His, ait, in Ranas, his, quis quis es, utere flammis ;
 377 his meruere peti." Nimbo jam tertia cuspis
 378 torta, per abruptas lustrato calle procellas,
 379 involvit calido totum Meridarpaga fumo.
 380 Exsultat nebulo varia caligine saeptus,
 381 iratoque Deo fruitur, barbamque remulcit
 382 omnia missurus famosum in saecula nomen.
 383 Obstupere omnes : fremuitque animosus Apollo.
 384 Ipse autem Alcides Patris miseratus honorem :
 385 "Quod genus hoc, qui talis", ait, "contemptor et hostis
 386 musculus ? An nostros iterum Regina labores
 387 provocat, et geminis pejores obicit angues ?
 388 Aspicite, ut venas furoris agitatus et oestro
 389 saeviat : excedit vires, quibus improbus ornos
 390 Arcadias evertit aper, lugente colono :
 391 et quas Creta bovis flamas exusta cruenti
 392 sensit ; hic, hic, video, sudor manet ultimus Oetae
 393 impositum, et primos vincet majore triumpho.
 394 Eurystheus sileat : quid enim mandata capessam ?
 395 Me natura monet fesso succurrere Patri."
 396 Sic fatus clavam ingentem, cui dextera lassa
 397 incubuit, toto librata sanguine nixus
 398 sustulit in Mures, et tela immania ferro
 399 direxit ; ceu terribiles Stymphalidas arcu
 400 fixurus : "Cessa, mea magna potentia, cessa
 401 nate. Quid in votitum ruis hostem", Juppiter infit.
 402 "Mene ipsum non posse feras has perdere ? Possem,
 403 Si mens certa foret, trifido, nihil ambige, telo
 404 concutere obstantes, penitusque affligere fundo.
 405 Sed mihi, quid deceat, non quod licet, arma tenenti
 406 occurrit. Laudine foret tam abjecta ferire ?
 407 Dignior iste calor, natum ad sublimia fulmen
 408 praeterit ignavos hostes. Scopulosa zacynthus,
 409 quas habeat vires, quercusque annosa loquatur.
 410 Et tu (sed praestat modo dissimulare) loqueris.
 411 At ne contemptum ferat impunitus et astris
 412 exprobret iste niger, scrobibusque lavernio natus :
 413 "Atlantis generose Nepos, succingere pallam.
 414 Ventorum transcende domum, convexaque supra
 415 sistere, qua nitidus stellarum exercitus ardet.
 416 Detrahe caelestem Cancrum, metuendus in arma
 417 proruat, et plectat sontes, dirimatque rebelles,

418 vadir Atlantiades, et qui videt omnia Phoebus,
 419 it comes accinctus radios, et vertice lucem
 420 diffusus. Quacumque meant, dignantia cedunt
 421 sidera ; laxantur florentes ignibus orbes.
 422 Adventum testata Deum lyra turgida nullis
 423 flatibus insonuit ; subsultavere Triones,
 424 Phrixeusque Aries. Illos veneratus Orion
 425 submisitque caput, strictumque recondidit ensem.
 426 Tum prior Arcadiae pulcher frondentis alumnus :
 427 "Felices, qui semper", ait, "lucetis in auro
 428 signiferi Solis ; magnosque evolvitis annos,
 429 hoc Domino carpente viam. Nunc visere terram
 430 de vestra statione jubet Saturnius unum.
 431 Cancer ades ? Linque has, quas reptans incolis undas
 432 tantisper. Dabitur retro post bella redire.
 433 Ille altis egressus aquis et lacte profundo
 434 fluminis aetherii, sequitur per inane volantem
 435 Mercurium lapsus ; circumque et pone refusa
 436 mobilis ac titubans in gyrum fluctuat aura.
 437 Ut cum suspensis pedibus demissa cadit nix,
 438 mollis in omne latus tacite subsidere nutat.
 439 Haud aliter terrae appulsus. Tunc tosta Syene
 440 mitius a flamnis habuit, blandoque tepore
 441 usa, dari longas mirata est turribus umbras.
 442 Carcinus a noto monstratas Sole paludes
 443 intrat, et adjunctis agmen grave fratribus armat.
 444 Qui postquam in siccum latera exposuere, trucesque
 445 Musulmannigenae chelas sensere bisulcas ;
 446 fit late fuga, cum gemitu fremituque ruentum.
 447 Ipsa citis agitur pedibus Regina, rotasque
 448 aurigamque et equum (sese omnia) fortius urget ;
 449 et quia desperat metuitque evadere, et instat
 450 umbra maritalis. Pariter cupit ire sub Orcum.
 451 Dum dubitat, lapsantem absorbet caeca vorago,
 452 Aeternumque viro decus annumeranda meretur.
 453 At non aequali cum conjugi condita tumba,
 454 infelix, neque sub saxis tangentibus astra.
 455 Diffugiunt alii partes regionis in omnes
 456 contusi, referuntque oculos ad pristina pacis
 457 munera, consuetis exercenturque rapinis."
 458 Interea quidquid Mures scrutatur in antris,
 459 illorum reditu exsultat ; positoque pavore
 460 (quippe cati stupuere malum, quod turpis egestas
 461 visa diu fuerat dirum ac lugubre minari,
 462 irrita cum nullas traherent venabula praedas)
 463 spes hilares acuit, desolatasque cavernas
 464 observat, profugasque feras, solacia ventris.
 465 Atque adeo jam nunc revocant, quem nomine gentis
 466 pellitae misere queri, tristemque novercae
 467 fraudanti genios Naturae intendere litem.
 468 Indicunt iterum choreas, atque orgia noctis ;
 469 suetisque invigilant spoliis. Gannitus et ingens
 470 in Maumillonum plausus dizione resultat.
 471 Ut si forsan equos, taurumque armenta secuta
 472 abstulerit praedo ; neque spes super ulla peculi ;
 473 illa inopina tamen stabulum commune revisant ;
 474 ergo iterum felix toto pastore Menalcas
 475 subsilit, et dulci confundit gaudia fletu.

476 Aut Pelusiaci quantus per rura Canopi
 477 laetitiae tremor exoritur : cum Nilus in urna
 478 se cohibens ripasque intra, dubitare colonos
 479 cogit, et optatae tumidos nil fidere messi.
 480 Mox ubi restagnat praesens, tumidusque per arva
 481 volvitur, et late campos fecundus inundat ;
 482 laudavere Deum, nec jam fugisse queruntur.
 483 A cantu resonant agri, modulataque dicit
 484 tibia linigeros. Nilus clamatur et Isis.
 485 O ! numquam stimuli mites, ubi prima cupido
 486 invasitque animos, et non satiabilis ardet.
 487 Nulla mora est. Unum pedibus distringere murem
 488 aeluri instituunt, suadetque in sana voluptas
 489 libari ; si forte sapor mutatus in armis.
 490 Oceano nondum croceam Tithonia bigam
 491 extulerat quater, auricomis ducentibus horis ;
 492 et jam funus erat Meridarpax flebile. Felis,
 493 Juppiter illius fuit, intonuitque labanti.
 494 Itur ab Harpyis in circum. Murmura funus
 495 nescio quae, supra Catus horrida Thessalus efflat ;
 496 in partes que secat, stantes que aspergit, et illo
 497 Princeps Maumyadum nova sanguine foedera sancit.
 498 Heu, quid ages ? Bellone putas evadere Fata
 499 Pternoglyphe, et mortis telum vitare sequentis ;
 500 dum fugis, et cancros felicibus effugis alis ;
 501 te miserum ! in Scyllam juratosque incidit hostes.
 502 Hoc tibi grande malum si praecinuisset Apollo,
 503 stragibus optasses potius sub Borborocoete,
 504 cui elapsus eras, animamque impendere Marti.
 505 Non ita Threicium vatem, sectumque cruentae
 506 patris Echionii lacerarunt Penthea Bacchae.
 507 Juppiter his visis vultum demittere coepit,
 508 ut solet abductus curis secretaque versans ;
 509 tum taciti primum Divi cognoscere causas,
 510 et quod caelicolis poscentibus ante negasset
 511 agmina sulphureo Maurusia perdere nimbo,
 512 consilium laudare sacrum, majusque vereri.
 513 Est aliquod fulmen, quod nec fabricare Pyracmon,
 514 nec Steropes conflare potest. Nec Lemnius ipse
 515 attractare audet, si non Stygis amne lavetur.
 516 Ventorum deformis hiems, et Colchica pestis,
 517 aura nocens et dira lues, viridisque veneni
 518 Suecus, et Haemoniis exstillans frondibus humor,
 519 materies minima est, et adhuc tolerabile telum ;
 520 quod tantum in nanos colles incumbat, et almos
 521 plebeias sternat, platanique enode cacumen.
 522 Accedunt ructus morientum, stridor hyaenae,
 523 ira tremens, raptique incensis urbibus ignes ;
 524 et vanescentis sanies exusta Cometae.
 525 His quoque miscetur rabies, ac spuma canina
 526 Uranies collecta manu ; cum Sirius oestro
 527 percitus, allatrat flammatto sidera rictu.
 528 Adduntur colubri de Gorgone ; bis tria Solis
 529 spicula lugentis, medio fulgore reciso.
 530 Scobs ferri, quae de pedibus perhibetur equorum,
 531 Cum Pluto Siculas ad sponsam frangeret arces,
 532 succussis cecidisse trium ; (nam quartus Alastor
 533 difficilis minui, totus riget aere maligno)

534 nec tamen usque adeo foret in superabile, si non
 535 Juppiter ipse suo jactum de vertice crinem
 536 tonderi patiens (et crinis sufficit unus)
 537 inderet. Hinc rapidas vires, animosaque flabra
 538 sumit, et egesto quatit alta ceraunia saxo.
 539 Non ignis vulgare rubens hoc nobile fulmen
 540 excoquit ; ejectis opus est carbonibus antro
 541 Taenario, taxoque informi, et si qua supersunt
 542 naufragii veteris fragmenta infamia Cauro.
 543 Taliter excussum quoniam cum turbine sensit
 544 Pallenea cohors, uno damnata sepulcro ;
 545 effossasque manu Capaneus flagrantia Thebas
 546 moenia concutiens, totus lucebat anhelo
 547 pectore combustus, cineremque efflabat ab ore.
 548 Tantum summa manus divum Patris, et neque semper
 549 hoc torquet, valida nisi cum succensus ab ira est.
 550 Tunc quoque stringebat quasi vibraturus, et alta
 551 voce tonans : "Meruisse putas Meridarpaga, nate,
 552 missile, quod volvo ? Tracta, crispare licebit.
 553 Dum parcas homini, quidvis potes igne ferire."
 554 Alcides animi largus, tunc largior ibat
 555 fulmen adorandum potius timideque colendum
 556 impare sumpturus dextra ; jamque illud agebat
 557 Chaoniam impacto rapturus verbere querum.
 558 Prodigium ! Negat emitti. Ceu viveret ignis,
 559 sentiretque Deum consueta mole minorem.
 560 Increpat armipotens : quaenam has ignavia vires
 561 enervat, cohibetque Alecto invisa lacertos ?
 562 Letifer anne iterum serpit per viscera Nessus ?
 563 Exprobrat et Juno, laudans, fictumque renidens :
 564 "Noster amor ! Tene ergo rear stravisse leones ?
 565 Fregisse Antaeum ? Tu pensa columque tulisti
 566 femineas indute stolas, ac tempora myrto
 567 evincte." Alcmena satus et miratur, et ardet,
 568 et fremit, et rubet, atque iterum tentare laborat.
 569 Sibilat implacidum sulphur, multoque cruentat
 570 sanguine mirantem (neque enim haec natura) Deumque
 571 respicit. It caelo murmur. Venus aurea risit.
 572 Audiebat, inque sinum risit Nova Luna bicornem.
 573 At miser in rabiem versus Tirynthius altum
 574 uritur, et bustum flagrat immortale futurus,
 575 Si non excutiat, vires confessus iniquas
 576 ausa et inausa manu nequicquam ubi vertere coepit,
 577 excutit. Haud ultra lapsum, sed in aere pendet.
 578 Protinus Ales adest. Ea corripit unguibus uncis
 579 restituitque Jovi, qui laetus : "Parcimus", inquit,
 580 "nate, tibi. Patri posthac illudere cessa
 581 et cautus mea tela time, non sternere viles
 582 docta feras humilesque rubos ; sed robur adultae
 583 aetatis ; sed enim Rhodopen Hebrumque nivalem,
 584 Alcidesque meos ; hic non imitabile fulmen
 585 sentiet, hic demum per quem resciverit Orbis
 586 ludicra nos Ranis super, et super arma protervis
 587 muribus auctores, dextra movisse jocosa.
 588 Namque homines credent (ut gens est vana, malique
 589 heu, nimium nimiumque capax, atque omnia vexat
 590 censuris) Superos tantummodo ad otia natos,
 591 ceu pueros nugis consumere vilibus aevum.

592 Imperio Mundi nullas impendere curas ;
 593 cunctaque in incertum mortalia tendere casum.
 594 Quisquis is est, seu sit cerebro, seu poplite natus ;
 595 ille faces, totumque Jovem sua tela minantem
 596 attritus feret, et sitiet fugientibus undis
 597 mersus, et a plena torquebitur arbore pomis,
 598 juro per arcanas, instar mihi numinis, undas ;
 599 (concucessitque comas) per fratriis stagna profundi.
 600 Si quando placitum nobis, haec funera mundo
 601 pandere, et exactos belli proferre labores,
 602 tunc ego te Phoebum, vatem tu, Phoebe, monebis."
 603 Phoebus in haec (numeros, citharamque adjunxit eburnam) :
 604 "Magne Sator rerum, tibi se Delosque, Clarosque,
 605 et Patara, et Tenedos, sertisque evincta Terapne,
 606 et Delphi et Phocis, et supplex a pede montis
 607 Parnassus noster, cum toto inclinat Olympo.
 608 Jussa, in facta libens, mandata, in carmina vertam.
 609 Omne nemus causa Jovis, omnia marmora cogam
 610 admodulante lyra choreas accedere nostras.
 611 Unum istud vereor (praesentio mente futura) :
 612 ut ne inter paucos, aevo labente, poetas
 613 vix unum inveniam promptum facilemque monenti,
 614 qui moveat super ista tubam, quae vidimus, arma.
 615 Invitos nempe exstimum, et cantare rogatos
 616 Pegasea feriam penna, lauroque coronem !
 617 Valle prius Thymbraea, et utroque abscessero colle,
 618 tempus erit, stolidae cum mentis inertia fastu
 619 reddita deterior, quaedam mortalia stringet
 620 pectora erunt, sua qui scite jactare parati
 621 somnia in arcano, ceu nostro immissa cubili.
 622 Me quasi jam pridem toto cum fonte bibissent ;
 623 a monte in valles umquam descendere nolint.
 624 Detrectent tumidi gracilis leve carmen avenae,
 625 materiaeque exilis opus. Priameia Fata,
 626 Iliacas acies, et in Hectora calcar Achillis
 627 defixum poscent, ac sola ad Pergama duci.
 628 Vix dignabuntur metro cohibere leonem ;
 629 de vili Rana quid sperem ac Muribus ? Ignem
 630 offero cantandum, quo Phyllis saucia flagrat ;
 631 Cassandras laudare volent. Placet una Pelasgum
 632 victima, non totam redimita Polyxena frontem,
 633 ut videat cultros, atque arae basia figat ;
 634 aut Argiva viris Argia ferocior, omnes
 635 acceptura neces, clausuraque pectore casto ;
 636 si modo dilecti reperiret conjugis ossa.
 637 Talibus exemplis cupient super ardua ferri
 638 culmina Pieridum, totoque Helicone recepto
 639 donari septem foliis, et imagine macra.
 640 Non centum, non mille boves ad tenuia ducent.
 641 Id queror : imbelles, segnes, sine numine nostro,
 642 non jussi, invito me luctabuntur in altum
 643 repere quos inter dumos et fraga decebat ;
 644 ad juncum et corylos nulla virtute movendi,
 645 cum tamen a minimis surgant ad maxima Musae.
 646 His adeo jam nunc infestum me minor ipsum.
 647 Ite truces tumidique, et nostro absistite luco.
 648 Invenient haec plectra manus, et fistula labrum.
 649 Ipse tamen meus alter ego, quem Mantua felix

650 efferet in lucem, culici canet ante sepulto
 651 et decus et lessum ; quam Turno in bella ruenti,
 652 Nisoque Euryaloque, et Dardanio Anchisae,
 653 et pubi Trojanae ab longo errore parentet.
 654 Non igitur tu, quisquis eris, qualem modo coram
 655 praeципio, oblatum verearī spargere bellum
 656 qualicumque tuba juvat ire per omnia vatem.
 657 Sub cedro juvat et lentis cantare salictis.
 658 Et pontum juvat, et modicas innare paludes ;
 659 quamquam qui modicas, si me suadente poeta
 660 navigat. Hanc pugnam, munus Jovis esse memento
 661 caelicolis sublime datum, caligine sacra
 662 plenum, ac mittendis in plurima saecula fatis.
 663 Nil mage secretum vel ab ima Phocide, Delphisque,
 664 ac Tripode, et mota stagni exardentis arena
 665 transfumat ; nec dicit avis quocumque volatu ;
 666 mystica nec Cereris lampas, nec monstrat Eleusis.
 667 Omnia portendunt. Studeant evolvere verum,
 668 quorum ego compagi nitido praecordia sensu.
 669 Sume animos facilemque Deum, Germane : canenti
 670 non abero Momos, quibus est inamabilis unguis,
 671 dens niger, invisos aliis frenabo lupatis,
 672 quam quibus aetheriam soleo frenare quadrigam.
 673 Illorum ante oculos versetur Marsya victus,
 674 ora lacer, pellem exutus, totusque cicatrix.
 675 Et mihi sunt arcus, et nostra sagitta crux
 676 elicet, et nostro sternuntur robora disco."
 677 Ista intonsus ; at haec intonso Juppiter : "Aude
 678 aude aliquid, fili, patrīumque merebere vultum.
 679 Qui solum mea furta canunt, aut qui tua solum,
 680 nil aliud, nosque ad mensam ridenda propinant
 681 numina ; quo polles jaculo, prosterne frementes,
 682 et resupinatos in pulvere detege fucos
 683 Castalii mellis, sacratisque exue sertis,
 684 interea, ne foeda lues et noxia serpat,
 685 (namque vides populum exsanguem, Vulcane, nigrisque
 686 muribus admixtas tumulo putiscere Ranas)
 687 funereum convolve pyram, flammaeque rogali
 688 hos bellatores impone, cadavera, caesos.
 689 Ligna ferant Satyri, advolvantque e montibus ornos."
 690 Dixit, et ingenti concussit nubila motu,
 691 Atlas quo tergum sentit super astra gravari.
 692 Illum ascendentem retro sua turba secuta est.
 693 Amphitryoniades torvum indignatus in Oetam
 694 concessit, quo prima ferox incendia monte
 695 pertulit : ambustum quippe et plenum ora favillis,
 696 semper ab adversa puduit Junone videri.